


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

PARSONS LIBR
Univers
MICHIGAN





FROM THE LIBRARY OF
Professor Karl Heinrich Rau
OF THE UNIVERSITY OF HEIDELBERG
PRESENTED TO THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
BY
Mr. Philo Parsons
OF DETROIT
1871

Viro celeberrimo
K. H. Rau,
Discipl. polit. in Univ.
Heidelb. Prof.
Animo discipuli
mittit
C. Knies

HF
1401
.K96


LIBRARY
UNIVERSITY OF

HF
1401
.K96

SPECIMEN OECONOMICO-POLITICUM INAUGURALE,

QUO

ARGUMENTA EXHIBENTUR, AD REJICIENDAM VEL AD COMMENDANDAM INDUSTRIAE ET MERCATURAE LIBERTATEM VULGO ALLATA.

SPECIMEN OECONOMICO-POLITICUM INAUGURALE,

QUO

ARGUMENTA EXHIBENTUR, AD REJICIENDAM VEL AD COMMENDANDAM INDUSTRIAE ET MERCATURAE LIBERTATEM VULGO ALLATA;



QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HENRICI COCK,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. JUR. PROF. ORD.,

ET

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Heinrich

LEONARDUS (HENRICUS) KUHN,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XXIV JUNII MDCCCXXXV, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

TYPIS A. ZWEESAARDT.

MDCCCXXXV.

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM.

Reclass. 11-C-29 E.R.

PRAEFATIO.

Cum et mihi tempus instaret, quo studiosorum ordini valedicendum erat, difficillima mihi fuit idonei argumenti electio. Sed lectionum reminiscenti, quas Vir Cl. DEN TEX, *de Oeconomiae Politicae disciplina tradiderat, mihi in mentem venit, eligere argumentum speciminis conscribendi ex illa disciplina. Quaerenti mihi sponte se obtulit* argumentorum exploratio, quae pro libertate mercaturae atque industriae aut contra eam a scriptoribus vulgo afferuntur.

Multi scriptores vel leges prohibitivas vel libertatem mercaturae tuiti sunt, sed, quorumdam ea de re scriptorum operibus perlectis, observavi scriptores argumenta a parte adversa allata leviter tantum attigisse, prolixiores autem eos esse, in illis explicandis, quae ad confirmandam sententiam suam valent. Gravitatem quaestionis respiciens, non inutile opus esse putavi colligere varia argumenta, quae scriptores utrimque attulerunt. Ab omni judicio de quaestione ipsa, ut onere juvenilibus viribus impare, me abstinui. De ea pronunciare maturioris demum potest esse aetatis, ubi judicium experientia fuerit subactum.

Quod si aliquatenus id quod mihi proposui perfeci, cui id magis tribuam, quam Tibi, Vir Clarissime DEN TEX, *cujus lectiones jucundas utilesque mihi audire contigit. Hanc opportunitatem Tibi, Vir Clarissime gratias agendi inusitatam praeterire non sinit gratus animus discipuli, qui Tibi multum se debere fatetur. Cum pro auxilio et praeceptis, quibus numquam mihi,*

Te adeunti, defuisti, tum pro eximia tua benevolentia erga me monitisque vere amicis, quae mihi praestare non dedignatus es, gratum effundo animum.

Et quid Vobis dicam, Viri Cl. VAN LENNEP *et* VAN HALL! *quas vobis agam gratias! Nulla petitis et tamen tot jam discipuli grati eas Vobis praestiterunt. Multi ad altiora provecti studia, etiam nunc celebrant laudes meritaque vestra, et illorum verbis ego adjicere nulla possum. Sed superest mihi publice dicere, Viri Cl., me ex intimo pectore Summum precari Numen, ut sapientia sua, in salutem patriae, familiae gloriam et commodum hujus Athenaei et amicorum discipulorum Vos diu incolumes servet.*

Ad Te me convertere jubet et pietas et gratitudo, Vir Clarissime TYDEMANNE, *Promotor aestumatissime, quum auxilium Tuum imploratum mihi non denegaveris: qua tua benevolentia me Tibi obstrictum sentio.*

Accipiatis, Viri Cl., grati animi mei tes-

timonium certumque Vobis habeatis, me numquam vestrae humanitatis, benevolentiae immemorem exstiturum.

Vobis denique, studiosi in Athenaeo Ill. nostro, amicissimi commilitones, gratias ago pro amicitia tua, qua frui mihi per totum studiorum meorum tempus licuit. Vivite felices, nostrae amicitiae sodalitiique semper memores.

INTRODUCTIO.

§ 1. *Oeconomia Politica quid sit.*

Oeconomia politica est disciplina, quae docet quibus modis divitiae in civitate procreantur, distribuuntur et consumuntur. Sponte cuique patebit illam disciplinam attentione omnium perdignam esse et imprimis eorum qui, ad summos honores in civitate vocati, procurationem negotiorum civium in se susceperunt. Saepe hujus disciplinae detrectatores animadverterunt Veteres eam plane ignorasse, ideoque illam hodie etiam plane supervacuam esse. Ex industria illorum perversam opinionem refutare non est hujus loci. Principia enim nonnulla hujus disciplinae jam in Veterum scriptis occurrunt (1), sed inter laudes nostri aevi merito refertur, quod haec disciplina magis magisque in certam formam redacta et exculta fuerit.

(1) Vir Juvenis ornatissimus N. C. Calkoen conatus erat Veterum sententias ad oeconomiam politicam facientes indagare et explorare, sed mors praematura eum studiis et amicis suis eripuit. Ea, quae jam indefesso labore de hoc argumento colligerat, curâ Viri Clarissimi C. A. den Tex edita sunt in *Bijdragen tot regtsgeleerdheid en wetgeving*, Vol. VI. pag. 413.

Versatur, ut vidimus, in cognoscendis procreatione, distributione et consumtione divitiarum; et ideo, antequam progrediamur, naturam valoris explorare et ostendere quid sint divitiae, necesse erit (1).

§ 2. *De Natura et variis speciebus valoris.*

Omnes res ab hominibus aestimantur secundum utilitatem, quam iis afferre possunt, aut secundum pertium, quod earum venditione percipitur. Prima aestimationis species, id est, quando res secundum utilitatem, quam nobis afferre possunt, aestimantur, vocatur *valor utilitatis* (nuttigheidswaarde): secunda vero, id est, quando res penduntur ratione rerum aliarum quas ex earum venditione ab aliis obtinere possumus, *valor* appellatur *permutationis* (ruilingswaarde) (2). Quantum inter has species intercedat discrimen, exemplo illustrare conemur.

Arcus et sagittae, ab inculto homine, cui commoda, quae vita socialis mortalibus affert et progressus humani generis in agricultura aliisque industriae partibus plane sunt ignota, vitam suam vastis in silvis degente, ideo plurimi aestimantur, quia

---

(1) Late exposuit Vir Clar. J. B. SAY in opere *Cours complet d'économie politique*, utilitatem et momentum oeconomiae politicae in *considérations generales*, quae leguntur in initio operis citati. Cf. Vir Cl. H. W. TYDEMAN in praefatione operis *Grondbeginselen der staatshuishoudkunde*; et J. DROZ. *Économie politique ou principes de la science des richesses*. Paris 1829. pag. 1—5.

(2) Cf. Viri Cons. E. WALLER dissertatio inaug.: *de ratione, qua mercatura divitiis gignendis et augendis inserviat*. Amstelod. 1829. pag. 5—8.

hisce armis facile sibi familiaeque suae victum quaerere potest; cultiores autem, cum aliis melioribusque modis victum sibi quaerere sciant, eas parvi pendunt. Picturae contra celeberrimorum virorum ab inculto parvi penduntur, quia nullam fere utilitatem hae res ei afferre queunt, cum tamen in tota ferme Europa magni aestimentur ob artis praestantiam, quam in iis deprehendimus. Arcus et sagittarum magna est utilitas et tamen earum permutationis valor paucis assibus constat. Picturae vero magno venduntur pretio, licet earum utilitatis valor sit exiguus.

Valor utilitatis seu potius utilitas ipsa, quae rebus inest, nobis quasi fundamentum permutationis videtur (1); nam nemo certe, qui bona sua recte administrat, alias res aut pecuniam (quod eodem redit) dabit ad aliquam rem sibi comparandam, quam plane nullam, neque sibi neque aliis, utilitatem afferre posse putat (2).

Valor tamen utilitatis non ita limites scribere potest permutationis valori, ut plane hic ab illo pendeat. Variae enim sunt causae, quae valorem permutationis augent vel diminuunt. Sic v. g. facultate omni fere tempore alias res pro aliis acquirendi et permutandi earum permutationis valor diminuitur; difficultas autem sibi res cujusdam generis comparandi valorem illum auget. Hoc verum esse

(1) Cf. J. Droz. op. laud. Liv. I. Chap. II. pag. 17.

(2) Hinc sequitur, simulatque rerum augeatur utilitas, eas majore pretio vendi posse, nam gradus utilitatis, ut sic dicam, major tunc iis inest et ideo plus valent. Cf. Vir Clar. H. Storch, *Cours d'économie politique.* I. pag. 73.

probatur exemplo quotidianae litterarum cambialium emtionis et venditionis. Si multae adsunt hujusmodi litterae, quae uno eodemque loco sunt solvendae, parum supra pecuniam in iis expressam dare cogitur qui eas vult emere; si vero rarae sunt, quod fieri potest, cum pecunia solvenda sit in loco, quocum commercium fere nullum agitur, saepe accidit, ut multo majus pretium solvendum sit, quam quod in ipsis litteris expressum est. Id, quod plus solvitur, vulgo *agio* dicitur.

Varietati semper subest valor. Diversa tempora et loca huic varietati ansam praebent et modus etiam quo res producuntur aut elaborantur, earum valorem saepe quam maxime auget vel diminuit (1). Valor rerum ad voluntatem uniuscujusque recte definiri nequit; sed necesse est, ut plerique homines alicui rei certum adscribant valorem. Si ego v. g. annulum, quem ab amico defuncto accepi, centum florenos aestimo et ceteri omnes contra bona fide universe contendunt, eum tantum viginti quinque

(1) Egregium exemplum tradit Vir Clar. J. B. SAY in opere laud. Tom. I. pag. 155. (Edit. Bruxell. 1832.) «*C'est ce que l'on a pu observer, lorsque l'on a fait usage de la navette volante pour passer la trame des étoffes. Il fallait auparavant pour les grandes largeurs, deux ouvriers, l'un à droite, l'autre à gauche du métier, pour se renvoyer mutuellement la navette. Par le moyen de la navette volante, un seul tisserand, placé au milieu du métier, n'a nul besoin d'étendre les bras aux deux côtés des portées. Une simple ficelle attachée à un manche, qu'il tient à la main, lui suffit pour renvoyer la navette de gauche à droite et de droite à gauche. Sans prendre plus de peine, sans être payé davantage, un seul homme fait l'ouvrage de deux; de la même valeur en services industriels on tire plus de produits.*»

valere, parum mihi proderunt 75 floreni, qui adhuc restant, nam pretium constituunt, quod dicitur *affectionis*, quod ut curent ceteri, immerito peterem.

Cum supra vidimus valorem varietati subesse, sequitur duas res secum invicem recte comparari non posse, quod ad earum aestimationem attinet, nisi uno eodemque loco ac tempore adsint. Sic fieri potest, ut quis, annuis reditibus mille florenorum gaudens, variis temporibus ditior aut pauperior futurus sit; nam ratio tenenda est rerum necessariarum, quas pro hac summa sibi comparare potest. Si hoc anno centum pistori debet florenos et sequenti anno centum quinquaginta pro eadem qualitate et quantitate panis sunt solvendi, quinquaginta florenis divitias ejus diminutas esse patet (1).

Hinc explicandi varii sumtus ejusdem vivendi rationis in variis regionibus, quamquam non longe a se invicem remotis, cum scilicet in hac regione, ut honeste quis vivat, mille et ducenti floreni requirantur, in illa vero mille quadringenti. Multae et variae sunt causae, quae hoc efficiunt; inter eas autem tributa et vectigalia, quae in variis hisce regionibus majora vel minora sunt solvenda, primum profecto locum occupant.

§ 3. *De divitiis.*

Certa nobis constituenda est notio divitiarum, ut omnia quae sequuntur recte intelligantur. Tota enim nostra disciplina versatur in disquisitione de divitiis,

---

(1) Cf. Say, op. laud. Tom. I. pag. 89. et Tom. II. pag. 342.

cum ostendat, quibus modis illae procreentur, distribuantur et consumantur. Multi fuerunt scriptores, qui, cum naturam divitiarum sibi non recte proposuissent, doctrinas deinceps protulerunt, quae omni idoneo carebant fundamento. Hoc in parte altera ostendere conabimur.

Divitiarum vocabulum vario sensu accipitur, nam saepe (et tamen minus recte) earum nomine intelligitur facultas libere statuendi de rebus magni valoris ratione earum, quae vili penduntur pretio, et plerumque etiam eae tantum res divitiae vocantur, quae quum vendantur magnam valent pecuniam, aut aliis verbis, quarum magnus est permutationis valor. Vulgus eum tantum divitem esse judicat, qui multarum rerum pretiosarum est dominus; sed, si stricte et secundum principia oeconomiae pol. loquimur, is quoque dives dicendus est, qui quamcumque rem possidet; nam quaevis fere res habet valorem, quamquam saepe exiguum, et valor est qui divitias constituit. E valore qui rebus inest dijudicandum est, an sint majoris vel minoris momenti.

Non tamen dicendum est, res tantum corporales, uti navis, domus, equus similesque divitias constituere; incorporales etiam (*produits immatériels*) ut sunt jura, facultates, utilitatem afferre possunt, et ideo merito divitiis adnumerantur (1).

Exemplo illud illustrare conabimur.

Opifices mercedem majorem fabro peritiori solvere

(1) Cf. Vir Cons. A. G. Hoekstra, dissertatio oeconomico-politica *de productis nulla materia constantibus.* Lugd. Bat. 1832.

non recusant, et si quaeritur, cur haec major merces ei solvatur, respondendum est, eum majorem utilitatem afferre quam alii. Discrimen inter mercedem, quae peritiori solvitur et illam, quam ordinarius accipit faber, constituit pretium majorum facultatum, quas ille possidet. Recte etiam hac de re pronuntiavit Say, op. cit. I. pag. 205: «*Une nation où il y a* «*beaucoup de talens acquis, soit dans les beaux-* «*arts, soit dans les arts industriels, est incon-* «*testablement plus riche qu'une autre nation, où* «*les mêmes talens n'existent pas. Elle obtient tous* «*les ans, en raison de cette supériorité de talens,* «*de plus gros profits, des revenus plus considé-* «*rables.*»

Cum jam supra vidimus utilitatem valorem majorem aut minorem rerum constituere, sequitur, divitias nos procreare eo tempore, quo certae rei majorem tribuimus utilitatem, quam qua antea gaudebat. Tribuere et augere utilitatem nihil igitur aliud est, quam procreare divitias (1).

Operae pretium esse videtur verbo monere de vario sensu, quo divitiae accipiuntur, ratione eorum qui eas possident. Divitiae, quas singuli possident homines, eae sunt, quae Belgice dicuntur *Individuële rijkdommen;* sed omnium hominum aliqua in civitate degentium divitiae simul sumtae constituunt divitias civitatis, aut potius populi: *Nationale rijkdom.* Divitiae singulorum hominum saepe augentur aut diminuuntur, quamquam divitiae populi nul-

(1) Cf. Vir Cons. E. Wallre, diss. inaud. pag. 4. J. Droz. op. cit. Chap. II. pag. 29.

lam subeant mutationem. Pauperes, si v. g. vi testamenti ad bona civis divitis veniunt, acquirunt divitias, sed totius civitatis divitiae hoc modo minime auctae sunt. Illae eaedem manserunt; divitiae tantum ab alio ad alios transierunt. Translatio tantum dominii obtinuit. Sed si opifex laboriosus e lanis, quae mille florenos valent, pannos textiles confecit, quorum valor est mille quingentorum florenorum, omnibus sumtibus elaborationis deductis, non tantum opificis, sed et civitatis divitiae quingentis florenis auctae sunt. Tunc novus valor creatus est; heredes autem divitias nacti sunt, quas antea alius jam possidebat civis (1).

§ 4. *De pecunia.*

Olim cum mercatura in initiis versaretur, res rebus emebantur et vendebantur. Ille, qui multas v. g. oves habebant sed nullum possidebat frumentum, tradebat oves suas agricolae et in earum locum accipiebat frumentum, quo indigebat. Hoc modo omnes, quae iis necessaria erant, sibi comparabant. Non diu tamen hanc molestam mercaturam agendi rationem secuti sunt populi. Homines, cum magis magisque majorem humanitatem attingerent, et in omni terrarum orbis parte sedes suas collocare coeperint, statim multa et gravia sentiebant incommoda, quae ex hac mercaturam agendi ratione oriebantur. Ex-

(1) Cf. J. B. Say, *Catéchisme d'économie politique.* Paris. 1826. pag. 2. Illa proposita divitiarum divisio recte tenenda est, nam multis gravibusque erroribus ejus neglectum locum dedisse postea videbimus. Cf. Cicero, *de off.* III. 15.

cogitandum itaque aliquid erat, quo omnes res sibi comparare possent homines, quodque ab omnibus aeque exoptaretur et quo pretium omnium rerum definiretur. Constituenda erat quaedam mensura generalis valoris omnium mercium (1). Initio variis in regionibus varias res adhibuerunt homines, quibus illam mensuram generalem constituere voluerunt, et denique ferro, auro argentoque usi sunt. Metalla pretiosa prae ceteris omnibus rebus optime inservire poterant ad illam mensuram exoptatam constituendam. Magnum repraesentant valorem, quamvis non magnum occupant locum; diu sine ullo incommodo unusquisque illa servare potest; usu non facile deteruntur, et in multas ac parvas quidem partes dividi possunt, et, quod ante omnia animadvertere debemus, hoc est, quod imagines et signa, quae in securitatem valoris et, ut omnis fraus avertatur, in iis insculpuntur, per longum spatium temporis integra manent. Pecuniae ope valorem rerum diversi generis (uno eodemque loco ac tempore exstantium) quisque sibi effingere potest, ita ut eas secum invicem comparare possit; nam si constat hoc illudve negotium duodecim valere florenos, statim etiam sciet quaenam quotque alia negotia sibi pro illo acquirere potest. Observandum est, pecuniae usu introducto homines semper duas peragere debere actiones, si merces suas pro aliis mutare volunt, quod antea una efficiebatur. Prima actio constat in permutatione rei, quam quis

(1) Germani scriptores pecuniam vocant *ein allgemeiner Werthmesser*. Cf. Vir Doct. K. Murhard, *Theorie des Handels*, pag. 269. Götting. 1831.

habet, in pecuniam; secunda in re, quam emere sibi proposuerat, emenda pro pecunia, quam e venditione rei suae acquisivit. Ille, qui vendit res suas, non pecuniam ipsam possidere cupit, nam haec ei ferme nullam utilitatem afferre potest, sed hujus ope alias res, quae ei magis conveniunt, quam quas possidebat, sibi vult acquirere. Pecunia igitur personae interpositae vice fungitur, cum res permutentur. Pecunia ipsa non optatur, sed est remedium tantum, quo facile acquiramus res, quae nobis placent (1).

Tenendum etiam est, ejus, qui res suas vendidit, quodammodo meliorem esse conditionem, quam ejus, qui eas emit. Venditor enim, comparata pecunia omnes statim alias res acquirere potest, cum contra emtori duae illae memoratae actiones peragendae sint.

Vidimus pecunia recte exprimi valorem rerum, et inde fluit hoc principium, quod idem sit metalla pretiosa vel nummos e hisce confectos possidere, aut res, quarum valor idem est ac certae quantitatis auri argentive. Multi fuerunt, qui, hoc axioma negligentes, contenderent longe utilius fore civitatibus exportare merces et earum in locum metalla pretiosa acquirere, quam aurum vel argentum extra civitatis fines mittere et alias accipere merces, quae usu consumuntur. Hunc gravem errorem indicare conabimur in parte II. § 6.

Olim cum principia oeconomiae pol. adhuc in tenebris abscondita essent, nonnulli Imperantes putaverunt valorem monetae ab iis secundum suam vo-

---

(1) Cf. SAY, *Catéchisme*, pag. 66. HURHARD, pag. 265 et 266. et scriptor ab illo citatus. DROZ. op. laud. Lib. II. Cap. 9. pag. 200.

luntatem augeri vel diminui posse et igitur se subditis suis magnas praebere posse divitias (1). Sed graviter errarunt. Nomina quidem nummis dare possunt et jubere hunc illumve nummum quinque aut decem valere florenos; sed si valor, quem nummis adscribit Princeps, iis revera non inest, nihil efficiet. Illi, qui merces suas vendere et nummos in earum locum accipere cupiunt, horum valorem dijudicant. Si tantus nummis non inest valor, quantum iis dare voluit Princeps, statim pretium mercium suarum augent mercatores et res revera nullam subeunt mutationem. Princeps, qui legem promulgat, qua statuit florenum, viginti asses valentem, post aliquod tempus quadraginta valere asses, minime hac lege subditorum suorum auget divitias. Si ante legem latam uno floreno quis sibi comparare poterat unum pondo alicujus rei, post floreni valorem in duplum auctum non duo pondo ejusdem rei sibi comparabit, nam uno floreno valor tantum inest viginti, non quadraginta assium. Ut duo pondo acquirat, duos solvere debet florenos (2).

Restat verbo monere de iis rebus, quae pecuniae vice vulgo funguntur. (*signes représentatifs de la*

---

(1) Cf. Viri Cons. P. W. A. Greevelink, Specimen oeconomico-politicum, *de summi Imperantis cura, quae dicitur indirecta, in industria promovenda.* pag. 259. L. B. 1832.

(2) Idem jam observavit Say, *Cours d'écon. pol.* II. 52. «*Même en Turquie, si un Pacha vous force à donner pour deux sequins une marchandise qui en vaut trois, il vous vole un sequin, mais il ne peut pas faire que deux sequins vaillent autant que trois.*» Cf. P. W. A. Greevelink, spec. laud. pag. 253. J. Droz. op. laud. pag. 7. Vir Doct. H. Storch, *Cours d'économie pol.* I. Cap. VIII. pag. 97.

monnaie). Inprimis hic in sensum veniunt litterae, quae Belgice *Bankbriefjes* vocantur, et litterae cambiales.

Si principia supra tradita observamus, statim apparebit illas litteras proprie in se nullum continere valorem. Eas tantum in solutionem accipiunt omnes, qui aliquam agunt mercaturam. Quaenam igitur est causa, cur tantum iis valorem adscribant homines? Litterae valorem in iis expressum repraesentant et, qui eas accipit, ideo nullam movet difficultatem, quia sibi certum habet, se facile eas in pecuniam numeratam permutare posse. Persuasio illa si non adest, nemo eas accipiet. Quis enim, quaeso, merces suas vendet, cum in solutionem accepturus sit chartam nullius fere valoris, cujus auctor ei ignotus est et cum maxime incertum sit, an pro hac charta aliquando pecuniam consecuturus sit. Fiducia (*crediet*) quam habet ille, qui eas accipit, iis qui hujusmodi chartas aut litteras edunt, eas in usum introduxit; et, simulac metus existat harum litterarum auctores eas non amplius pro pecunia numerata recepturos esse, omnes accipere eas recusabunt. Minime igitur dicendum est, litteris ejusmodi editis directe divitias in civitate augeri. Qui plura cupit, adeat Virum Cl. Say, op. laud. Tom. II. pag. 148 sqq., qui brevem exhibet historiam chartarum, quae in fine praecedentis seculi editae sunt (1).

Transeamus nunc ad litteras cambiales.

Illae etiam litterae certo sensu pecuniae valorem in iis expressum repraesentant. Indicatur in litteris

(2) Cf. Vir Doct. K. Murhard, op. laud. pag. 359 seq.

cambialibus, apud quem et quo tempore is, qui eas tenet (exactor), pecuniae summam in iis expressam accipere possit. Magna earum utilitas omnibus nota est et igitur in ea explicanda morari opus non erit. Idem dicendum de iis, quod supra (cum de litteris, quae *Bankbriefjes* audiunt, egerimus) observavimus; nempe mercatores, qui hujusmodi litteras edunt, nullum novum creare valorem. Quid enim agitur a trassante litterae cambialis? Scribit ille ad alium, qui trassatus appellatur, eum tempore indicato solvere debere exactori (houder) tantam pecuniae summam, quanta litteris expressa est. Trassans curare debet, ut trassatus tempore definito quid habeat unde solvat; aliter enim exactor nihil obtinebit. Trassans igitur non sibi novas comparat divitias ejusmodi litteris scribendis. Trassato tantum jussit, pecuniam, quam ei aliquam ob causam debet, tertiò solvere, et pecunia illa jam partem divitiarum trassantis constituebat. Fides, quam exactor habet trassanti, valoris litterae cambialis est causa (1). Idem dicendum est, quod ad valorem attinet, de moneta e charta confecta, quam in extrema necessitate, veluti in obsidione urbium, saepe magistratus edebat. Illam accipere omnes recusarent, si sibi certum non haberent, periculis propulsis, se earum in locum nummos accepturos esse e metallis confectos (2).

---

(1) Cf. Vir Doct. MURHARD, op. laud. pag. 357.

(2) Cf. Vir Doct. J. DROZ. op. laud. pag. 217. Cf. Vir Clar. K. H. RAU, in opere *Grundsätze der Volkswirthschaftspflege*, pag. 285. § 265. Heidelb. 1828.

§ 5. *De variis modis, quibus divitiae procreantur.*

Cum jam supra (§ 3) notionem tradiderimus divitiarum, non inutile videtur ultimo loco indagare praecipuos modos, quibus illae in civitate oriantur.

Industria hominum, quae tamquam fons divitiarum consideranda est, praecipue adhibetur in agricultura, fabricatione rerum et mercatura. Scriptores eas vocant *classes industriae*, omnes ceteros modos, quibus divitiae procreari possunt, ad illas referentes. Sic ad agriculturam, piscationem, aucupium et metallorum fossuram referunt. Minus accurate profecto sic locuti sunt, nam nulla certe est affinitas agriculturam inter et piscationem; sed factum est, ut omnes modi, quibus divitiae procreantur, ad illas tres memoratas classes referantur (1).

Primum videamus de agricultura.

Colonus possidet ipse aut ab alio pro mercede quadam constituta locavit agrum, quem magno labore aptum reddit recipiendis seminibus. Quamquam saepe non magnam frumenti quantitatem terrae committat, tamen laete exspectat tempus, quo frumentum falcibus aptum erit, quia ei illud tunc vicies, quinquagies, imo saepe octogies (ratione majoris aut minoris agri fertilitatis et tempestatis secundae) referet, quod seminavit. Inde petit merces locationis agri, inde solvere potest famulorum praestitas operas et inde habet, quo vitam suam et suorum sustentet.

(1) Cf. Vir Doct. H. Storch, op. laud. Tom. I. cap. 4.

Si ager incultus jacuisset et semen in horreo servatum esset, nullos colonus percepisset fructus et seminis quantitas ne mica quidem aucta fuisset; cum contra idem humo mandatum fetu terrae et coloni industria efficiat, ut ille recte suis prospicere queat. Agricultura ideo divitias producit, quod quantitatem rerum, quae jam exstabant, auget, et id, quod plus acquirit colonus, quam seminavit, quaestum constituit, quem inde percipit (1).

Secundo loco videndum de fabricatione.

Antiquis temporibus, cum homines nondum scirent naturae vires in suos usus adhibere, omnes res manu conficiebantur, nam machinae aut iis plane ignotae erant, aut certe illum gradum perfectionis, quo hodie gaudent, nondum attigerant. Progressus, qui postremis temporibus in multis scientiis facti sunt, necessario magnam vim etiam in artes exercere debebant (2). Progressibus in chemia, mechanica et physica splendidissima illa documenta praestantiae ingenii humani debemus, quae etiam solers Archimedes demiraretur. Machinarum ope multas hodie res nobis facile comparare possumus, pro quibus olim vel triplex pretium solvendum erat. Parvis sumtibus tribuunt magnam utilitatem rebus prima-

---

(1) QUESNAY, qui sub LUDOVICO XIV res imperii administrabat, agriculturam tamquam unicum fontem divitiarum agnoscebat. Ejus doctrinam explorare non est hujus loci; remitto B. L. ad ea, quae habent SAY, op. laud. Tom. IV. pag. 280. et H. STORCH, op. laud. Tom. I. pag. 124. Cf. Vir Cl. G. WTTEWAAL, oratio *de agricultura salutis publicae vero fundamento.* Leidae 1828. J. DROZ. op. laud. Liv. I. Chap. IV. pag. 11.

(2) Cf. Vir Cons. P. W. A. GREVELINK, spec. laud. pag. 169.

riis (*grondstoffen*), ita ut iis commode uti possimus. Si contra illa utilitas hominum constituenda esset labore, harum rerum multis in casibus longe minor esset utilitas et semper majus spatium temporis et majores sumtus requirerentur. Vidimus jam § 3 utilitatem rerum divitias constituere; quo citius itaque et minoribus sumtibus utilitas illa rebus tribuitur, eo majores in civitate procreantur divitiae. Olim v. g. servi in pistrina detrudebantur, quorum loco hodie ventus adhibetur. Vi igitur naturae, cujus usum nemo solvere tenetur, idem efficitur, quod antea labore multorum hominum, quibus, nisi merces, tamen quotidianus victus praestandus erat.

Machinarum igitur praecipua utilitas consistit in majore utilitate rebus tribuenda parvis sumtibus, et hoc modo illae in civitate divitias augent.

Fuerunt tamen qui contenderint machinas, magna utilitate praecellentes, saluti generis humani quam maxime contrarias esse (1), sed eorum argumenta recte jam refutasse videtur SAY in op. laud. Tom. I. pag. 229—243 (2).

Breviter nunc de mercatura et diversis modis, quibus ea agatur, dicendum est.

---

(1) Hanc sententiam inter alios Vir Doct. J. C. L. SISMONDE DE SISMONDI tuitus est in opere *Nouveaux principes d'économie politique.* Tom. I. pag. 350. Paris 1827. Cf. Vir Celeb. MONTESQUIEU, *Esprit des lois,* Lib. XXIII. Chap. XV. GANILH, *Des systèmes d'économie politique.* Tom. I. Liv. II. Chap. IV. pag. 201. Paris 1821.

(2) Cf. inprimis Vir Clar. H. W. TYDEMAN, *Verhandeling over het gebruik der werktuigen in de fabrijken.* J. DROZ. op. laud. pag. 285. et Anonymus scriptor operis *Resultate des Machinenwesens namentlich in Bezug auf Wohlfeile und vermehrte Beschäftigung.* Lubeck 1833.

Multi scriptores negaverunt mercaturam novos producere valores, et ideo putaverunt illam divitias civitatum augere non posse. Alii autem, cum viderent historiam multorum populorum huic sententiae minime favere, contenderunt lucrum, quod venditores percipiunt, semper nasci e damno, quod sentiunt emtores.

Verum quidem est, mercaturam novas res non proferre, sed mercatores res aliis in regionibus emtas huc advehi curant, unde haec oritur utilitas, quod incolae hujus regionis iis uti possint, et ita rerum utilitas augetur. Discrimen inter valorem rerum in regione, qua emuntur et in ea, qua venduntur, lucrum mercatoris definit, impensis transportationis deductis. Nemo damnum sentit, nam ii quibus illae res necessariae et utiles sunt, consentiunt ad pretium, quod exigit mercator, solvendum, cum iis, qui illas res vendiderunt, pretium etiam oblatum sit, pro quo consenserunt merces suas tradere. Nemo in mercatura cogitur ad emendas aut vendendas res et utrisque partibus, id est, venditoribus et emtoribus satisfecit mercator; nulla igitur adesse potest laesio (1).

Cavendum etiam est, ne cum iis faciamus, qui memoratam sententiam (nempe quod lucrum unius, damnum constituat alterius) tamquam veram agnoscentes, statuunt mercaturam tantum, quae cum extera quadam regione agitur, divitias civitatibus afferre et omnem interiorem rejiciunt mercaturam. Ex industria illorum sententiam refutavit SAY, op. laud. Tom. I. pag. 378 et 405. Variae explicandae sunt species mercaturae, vel varii modi, quibus ea agitur.

(3) Cf. J. R. MAC-CULLOCH's *Grundsätze der Politische oeconomie*, pag. 99. Stutgart 1831.

Ratione eorum, quibuscum mercatura agitur, ea dividitur in *exteriorem* et *interiorem*.

Mercatura exterior est secundum definitionem, quam exhibet Vir Cons. E. WALLER in diss. laud. pag. 30, omnis ea, quae agitur extra civitatem et regionem, cujus sunt incolae ii, qui eam agunt, sive versetur circa res aliorum industriae, sive circa res eadem in regione, sive industria agriculturae, sive ea, quae in opificiis exercetur, procreatas, cum saepe in ea haec duo concurrant.

Mercatura interior est, quae fit emendo merces in una parte cujusdam regionis, ut in alio loco, ejusdem tamen regionis, rursus vendantur, vel eodem loco, sed alio modo.

Mercatura speculationis, quae vulgo dicitur, tunc agitur, quando aliquis certo tempore res emit, cum consilio eas rursus vendendi eodem loco, quo emit, certo spatio temporis praeterlapso. Sic sese habet definitio, quam tradit SAY, op. laud. Tom. I. pag. 386. Sed nimis arcta esse videtur. Necesse non est, quod res eodem loco, quo emtae sunt, vendantur. Nihil impedit quominus etiam alio in loco ejusdem regionis aut in extera quadam civitate eae rursus vendantur. Propositum tantum res emtas, aliquo temporis spatio praeterlapso, vendendi attendendum est. Alias divisiones et species mercaturae, ut minoris momenti, silentio praeterire posse putamus (1).

(1) Cf. SAY, op. laud. Tom. I. pag. 386, et Viri Cons. et Amiciss. D. A. PORTIELJE, diss. oeconomico-pol. inaug. *de quaestione, an fieri possit, ut tot res novae conficiantur, ut vendi amplius non possint.* pag. 26. Amst. 1834.

CONSTITUTIO QUAESTIONIS.

Si historiam progressuum attendimus, quos disciplina Oeconomiae Politicae fecit, statim apparebit principia quidem nonnulla hujus disciplinae in veterum, tum Romanorum cum Graecorum scriptis occurrere, quae ad illam faciunt, sed antiquos ex industria illi numquam operam navasse, simul videbimus. Neque mirum est, tempore medii aevi de illa disciplina cogitatum non fuisse. Vigebat tunc jus feudale, quod minime liberae industriae favebat. Dominium rerum incertum erat; Imperantes et illi qui iis aderant in administrandis negotiis, quid vere publice utile esset, non videbant et juris administratio pessima erat. Sed postquam varias ob causas feudalia instituta ex usu recesserant et familiae se in urbes receperant, agricultura et una cum ea, industria et mercatura florere inceperunt. Urbium incolae jam magnas sibi comparabant divitias mercaturam agendo aut industriae quoddam genus exercendo, antequam Principes, in quorum civitatibus hujusmodi urbes inveniebantur, recte intelligerent, quibus modis in civitatibus divi-

tiae procreentur, distribuantur et consumantur. Postea ad florentes illas urbes respicientes viri serio cogitaverunt de divitiarum illarum origine.

In Italia multa scripta sunt de Oeconomia Politica, sed in Francia, regnante LUDOVICO XIV. medio aevo decimo septimo COLBERTIUS imprimis de argumentis, ad illam disciplinam pertinentibus, sollicitus fuit. Conditio aerarii publici, cum ille ad ministerium perveniret, miserrima erat. Nullos ferme amplius servabat nummos fiscus, et infelix populus gravia multaque tributa, quae ad civitatis administrationem et ad bella gerenda necessaria erant, vix solvere poterat. Civium calamitatibus finem imponere cupiens, omnem adhibuit laborem, ut aerarii publici conditio, auctis ejus reditibus, melior redderetur. Multas leges tulit, quae importationem exterarum mercium in Francia prohiberent aut eas gravibus vectigalibus onerarent; alias etiam leges promulgavit, quae exportationem mercium, quae nondum elaboratae erant, impedirent. Illis studebat opus praebere multis civibus, quo se sustentare possint et industriam in Francia magis magisque extendere; hisce autem exteros cogere volebat ad eas merces emendas, quae jam elaboratae erant. Putabat ille metalla pretiosa tantum divitias constituere et omnes vires eo intendebat, ut illa in Francia in dies accumularentur. Persuasum sibi habebat omnem auri argentique exportationem civitatis divitias diminuere et ei igitur damnosam esse. Eam ob causam prohibebat ne illa exportarentur. Favebat contra eorum importationi. Ita sese habebat systema *mercatorium* vel *exclusivum*, quod et *colbertinismi*

nomen tulit, non quia illud creavit, sed quia illud in usum introduxit (1). Experientia sequentium temporum et progressus, quos postea fecit Oeconomia Politica, hujus systematis perversitatem patefecerunt.

Quesnay postea aliam rationem sequendam esse existimavit, cum observaret, systema, modo breviter expositum, proposito suo non respondere. Colbertius mercaturae praesertim ei, quae cum exteris agitur, faverat et parvi duxerat agriculturam. Quesnay vero omne ferme commercium negligebat et, divitiarum fontem unice in agricultura situm esse putans, hoc genus industriae omnibus modis, quibus id fieri poterat, promovere studebat. Agricultura, secundum ejus sententiam, sola novas procreabat divitias; mercatura, quoquo modo ea ageretur, novas numquam afferebat divitias; lucrum, quod unus mercaturam agendo perciperet, damnum alterius constituere putabat. Opifices etiam mercibus elaborandis divitiarum copiam augere negabat. In hoc systemate duae proponuntur classes hominum, quarum haec continet omnes, qui agros possident aut qui aliquo modo utiliter iis utuntur, veluti agrorum domini, coloni, pastores aliique. Ad alteram autem referuntur mercatores, opifices, viri doctrina praecellentes, illi qui muneribus in civitate funguntur, similes. Prior hominum classis civitati valde utilis esse, secunda vero, nullas cum proferat divitias, earum numerum diminuere et sumtibus tantum prioris classis se sustentare, existimabatur. Vocatur illud systema *Phy-*

(1) Cf. diss. laud. Viri Cons. E. Waller, pag. 62 seqq. et Vir Clar. Say, op. laud. Tom. IV. pag. 277.

siocraticum et scriptores, qui una cum QUESNAY, eandem de divitiis tuiti sunt sententiam, *Physiocratarum* nomine designantur.

Tertium systema, quod in Anglia exortum est et *Ponocraticum* sive *systema industriae* (*Nijverheidsstelsel*) appellatur, industriam hominum agnoscit tamquam causam et fontem divitiarum. Illae non unice consistunt in pretiosis metallis aut agriculturae proventibus (sicut monuerant COLBERTIUS et QUESNAY) sed omnia illa, quae hominum industria conficiuntur, divitiarum nomine comprehenduntur et unusquisque eo ditior aut pauperior est, quo majoribus aut minoribus gaudet facultatibus, sibi ea, quae ei sunt necessaria aut jucunda, comparandi sua industria, et quo magis apte et utiliter eas adhibeat, aut quo meliorem inter res, quas profert et inter eas, quas consumit, servet rationem. Aucta igitur industria, divitiae simul augentur. Prae omnibus aliis modis ad divitias augendas valet apta industriae aut laboris divisio, quae non solum constat in augendo eorum numero, qui aliquod genus industriae exercent, sed etiam in majores acquirendo facultates ad hoc illudve genus industriae exercendum. Hinc sequitur non unice agricolam sed et mercatorem et opificem proferre divitias. Parcimonia etiam divitiae accumulantur. Si certam portionem earum, quas industria nostra acquisivimus, servamus, illae partes novam deinceps constituent sortem, cujus fructibus numerus divitiarum nostrarum major redditur. Operae in alicujus rei confectionem impensae, definiunt hujus rei valorem. Longe autem a valore discrepat

pretium, id est, illud, quod in permutatione pro aliqua re ab alio nobis offertur. Variae res et causae illud augere aut diminuere possunt, v. g. fructus sortis, quae adhibita fuit in certae rei confectionem, aut agri vectigal, quo opus fuit ad hujus illiusve negotii procreationem. Industria hominum cum causa sit divitiarum, patet, tributa diversos modos, quibus res conficiuntur, gravare. Civitatum gubernatores nullum habent jus civibus auferendi facultatem industriam exercendi. Unusquisque igitur secundum suam voluntatem de rebus suis disponere posse debet et habet facultatem omnes eas operas adhibendi, quae ejus salutem et felicitatem promovent, nisi ita injuria aliorum juribus inferatur. Civitatis ipsius commodum exigit, ut illud jus sanctissimum civium non laedatur. Quisque optime intelligit, quibus modis felicitatem suam augere possit. Divitias civitatis constituunt omnium civium divitiae, et si iis relinquitur facultas sibi optimo modo prospiciendi, conditio civitatis numquam in malam partem abire poterit.

David Hume et Adam Smith principia hujus systematis posuerunt, et hodie ut optima a plerisque de Oeconomia Politica scriptoribus observantur et celebrantur.

Hujus disciplinae detrectatores facile animadvertere possunt divitias magnas multos populos jam sibi comparasse, antequam principia Oeconomiae Politicae iis cognita erant. Possunt observare etiam, systemata sequentibus temporibus proposita sibique invicem opposita, ostendere non satis firma stabiliaque esse principia, sed quam maxime incerta adhuc vagari.

Negari non potest populos nonnullos divitiis jam praecelluisse, quamquam non recte intelligerent, quibus modis illae procrearentur. Sed hoc saepe accedere vidimus. Effectus jam diu multarum rerum senserunt homines, antequam eorum causa detecta erat. Omnia cadere in terram unusquisque videbat, sed causam hujus motus et celeritatem, qua cadunt res, NEWTONUS primus indicavit. Neque tamen dicendum physicam hominibus parum utilem esse, quippe effectus jam adsunt rerum, quorum causa postea detegetur. Hujusmodi igitur animadversio nihil contra hujus disciplinae utilitatem probat. Quod attinet ad observationem de variis systematibus, quae de Oeconomia politica scriptores diversis temporibus secuti sunt, liceat mihi verba citare Viri doctissimi J. DROZ (1), qui recte monuit, homines facile et fere semper de una eademque re duas et diversas plane proferre sententias. Neque est quod miremur. Semper enim aderunt nonnulli, qui recte judicant et alii, qui rem suo judicio subjectam non capiunt et iniquum ideo de ea ferunt judicium. Porro rerum aliquando et locorum diversitas potest efficere, ut aliquando quod de certo loco aut tempore valet, universe applicari nequeat. Hae et aliae causae bene multae, huic opinionum diversitati locum dant facile.

Idem locum obtinuit in gravi illa disputatione, an civitati expediat liberam concedere industriam et mercaturam civibus, aut partem libertatis civilis iis adimere et industriam regere et coarctare. Alii hanc,

---

(1) *Économie politique* in praefatione pag. 15.

alii illam sententiam tuiti sunt et ab utraque parte argumenta sunt allata, quibus quisque veritatem sententiae, quam tuebatur, probare conaretur. Ambarum partium argumenta enumeravimus et distribuimus, hac quidem ratione. In prima parte attulimus et exposuimus argumenta eorum, qui docent liberam mercaturam civibus non esse concedendam et exterorum merces tunc prohibendas aut gravibus vectigalibus gravandas esse, si easdem cives possunt conficere. In altera vero hujus speciminis parte argumenta, quae pro libera industria et mercatura militant, allata sunt. Hanc rationem ideo sequi oportere putavimus, ne obliviscantur aureum proverbium: *Audi et alteram partem.* Ita fateor me nihil egisse, nisi quod comparationem variorum et contrariorum quidem placitorum hac de re inter se mutuo instituerim. Juvenis enim non esse videbatur de gravissima ejusmodi re, de qua certant viri doctissimi et Principes, audacter pronunciare. Lectores, si quos nactus ero, argumenta utrimque allata comparent, dijudicent et inde de controversia pronuncient ipsi. Ego malui personam agere investigatoris quam judicis.

PARS PRIMA.

ENUMERANTUR PRAECIPUA ARGUMENTA EORUM, QUI MERCIUM IMPORTATIONEM AUT EXPORTATIONEM PROHIBENDAM AUT GRAVIBUS VECTIGALIBUS GRAVANDAM ESSE STATUUNT.

§ 1. *De Jure Principis condendi leges, importationem vel exportationem mercium prohibentes.*

Multa jam disputaverunt viri docti de origine et proposito civitatum, ut inde definirent, quaenam jura Imperanti, quaenam populo competant. De hac quaestione, ut saepe accidit, plane diversae sententiae sunt pronunciatae. Illas enumerare non est hujus loci, sed animadvertere sufficiat, omnes hac in re consentire scriptores, homines natura duce, se in civitates contulisse, ut commoda percipiant, quae vita in statu extra-civili, qui dicitur, iis praestare non poterat.

Sic in civitatibus etiam jam pridem exstiterunt viri, virtute et aliis eximiis animi dotibus praestantes, qui civibus commoda illa exoptata praestandi officium in se susciperent et tamquam Principes et Imperantes omnia ea adhibere possent et deberent, quae ad illa commoda civibus procuranda, inservirent. Ita

etiam praecepta dederunt, secundum quae civium actiones ad bonum commune assequendum dirigerentur. Politica prudentia, quae de utilitate et prosperitate publica sollicita est, observatis simul justi legibus, dux sit et magistra Imperanti in legibus suis condendis. Hinc multae quaestiones dirimendae. Ita v. c. si patet, liberam mercaturam, quae constat in facultate libere, id est, nullis exactis gravibus vectigalibus importandi et exportandi merces, plerisque civibus et civitati perniciosam esse, sequitur Principi jus denegandum non esse, legum ope, illam liberam importationem aut exportationem plane prohibendi aut gravia vectigalia a certis mercibus exigendi, cum importentur aut exportentur. Non tantum hoc jus summo Imperanti competit, sed vi muneris ad hujusmodi leges ferendas est obstrictus, nam in se suscepit officium civium commoda procurandi augendique.

§. 2. *Leges, quae liberam exportationem gravant aut prohibent sunt remedia, quibus optime civium industriae favetur.*

Inter remedia, quae excogitata sunt, ut auxilium feratur agricolis opificibusque (1), nullum est (ut

(1) Ad illa inter alia pertinent:

I. Praemia in importationem aut exportationem aut elaborationem certarum mercium scripta. Cf. Vir Nob. G. K. van Hogendorp, *Lettres sur la prosperité publique*. Amst. 1830. Tom. I. pag. 59 seqq.

II. Immunitas a tributo solario, quae iis conceditur per aliquot annos, qui incultos agros (*Heigronden*) fertiles reddiderunt.

III. Remedium, quo mercaturae favetur, est vectigalium in importatione quarundam mercium solutorum, cum eaedem rursus exportentur, restitutio.

contendunt liberae mercaturae adversarii), quod melius huic proposito respondet, quam legum promulgatio, quae prohibent quominus certae merces peregrinae importentur, aut illae, quae exportationem liberam nonnullarum mercium patriarum impediunt. Fuerunt semper homines, qui salutem patriae et felicitatem civium suorum non curantes, sibi tantum consulentes, peregrinis in regionibus eas merces emere solebant, quarum confectio etiam in patria procedebat, sed quae ibi pretio paulum majori vendebantur, quam quo exteri eas offerrent. Non tantum hisce emtionibus pecunia numerata extra patriae limites exportabatur, quod jam per se magnis incommodis ansam praebere potest, de quibus infra dicturi sumus, sed etiam hac agendi ratione cum iis civibus, qui officinas possidebant, tum ipsi civitati damnum inferebatur. Principes autem, cum viderent civium commoda hac perversa agendi ratione quam maxime laedi, leges introduxerunt, quae civibus libertatem aliis in regionibus emendi et in patriam advehendi adimebant aut vectigalia a mercibus peregre confectis tam gravia exigebant, ut peregrinarum pretium cum importatae essent aequipararetur patriarum pretio. De utilitate et summa necessitate harum legum, secundum opinionem illorum, qui liberam mercaturam impugnant, sermo erit. Contendunt luce clarius apparere, leges quae importationem et evectionem vectigalibus gravant aut plane prohibent, efficacissima esse remedia, quae excogitari possunt ad industriam patriam (quae et vulgo nationalis appellatur) tuendam.

Observandum est, argumentum, quod nunc trac-

tabimus, valde cohaerere cum illo, quod infra (§ 9) tractaturi sumus, quum de prohibita exportatione rerum primariarum, civibus multis in causis salutari, sermo erit.

Mercatores, qui pannos textiles (*lakens*) vel ferrum jam elaboratum peregre emunt, sortes suas (id est pecuniam, qua emtae res solvuntur) adhibent in florem exterae civitatis, cum contra nostris in officinis procreatae merces in dies accumulentur, quarum ne minima quidem pars venditur. Quantum civitas nostra ex emtionibus peregrinarum mercium detrimentum capit, cum illae etiam in patria conficiantur, unicuique patebit (1). Civitas nostra duplex sic sentit damnum, primo: lucrum, quod peregrini percipiunt, quando res apud illos confectae a nobis emuntur, quo civitatis divitiae directe minores redduntur et secundo: amissionem lucri, quod opifices nostri hujusmodi merces conficiendo percipere merito sperabant. Neque haec sola sunt incommoda, quae ex illa perversa agendi ratione existunt. Officinarum nostrarum, cum peregrinis libere importare liceat merces, quae ab illis minori pretio venduntur, quam quo opifices nostri eas vendere possunt, interitus imminet; nam unusquisque cariores, quamquam patrias, nolet emere merces.

Sequela inevitabilis erit, quod opifices nostri cogentur ab harum mercium elaboratione aut confectione desistere. Magnae inde calamitates patriae civibusque obvenient. Opifices cogentur confectas res

---

(1) Cf. Vir Doct. H. F. Hopf in opere, cui titulo *Meinungen von der Handelsfreyheit und dem prohibitivsysteme*. Wien 1823. p. 75.

cum damno vendere et machinae, quarum comparatio magnam exegit pecuniam plane inutiles in ea regione reddentur et civitas, dirutis officinis, amittet uberrimum fontem divitiarum.

Operarii, qui jam per longum spatium temporis pannorum textilium confectioni v. g. operam navaverunt et inde sibi familiaeque victum quaesiverunt, in summis angustiis versabuntur et non amplius habebunt, unde se sustentent. Neque vires suas alii industriae generi adhibere poterunt, nam incommoda, quae quisque sentit, cum operam navare velit industriae, longe diversae ab ea, quam antea exercebat, neminem latent.

Si contra mercium peregrinarum importatio prohibetur aut vectigalia gravia iis imponuntur, quibus illarum pretium, patriarum aequiparetur pretio, hisce incommodis opportunitas non dabitur. Peregrini amplius suas non advehent merces et illorum aemulatione liberati opifices nostri, bono eventu merces conficere poterunt, quae ideo facile emtores invenient, quia nullae aliae offeruntur et cives itaque ad illas emendas coacti erunt.

Hisce igitur legibus industriam nationalem multum debere putant, cum pateat, libera si esset harum mercium importatio, opifices nostros et cum iis civitatem magna necessario pati detrimenta.

§ 3. *Repugnat dignitati populi quod omnia necessaria ab exteris accipiat.*

Supra jam vidimus, illos, qui contra liberam mercaturam suffragia ferunt, putare salutem civium

hujusmodi leges exigere, sed easdem etiam leges considerant tamquam necessarias ad sustinendam et augendam dignitatem alicujus populi, et demonstrare volunt prudentiam politicam suadere, ut leges illae ferantur et conserventur.

Unusquisque populus gloriatur viris, quibus ob sapientiam, virtutem aliasve ingenii dotes et patria et ferme omnes cultae gentes honores tribuunt. Historia patriae inventa, perspicua humani ingenii documenta, a civibus suis facta, tanta cum superbia memorat, quanta olim Graechorum mater filios suos, tamquam decus summum matronae proposuisse dicitur. In Francia templi, Pantheon dicti, celebris antiqua inscriptio: *Aux grands hommes la patrie reconnaissante*, indicat quanta sit gloria nationalis. Divitiae etiam cujusdam civitatis, id est divitiae omnium hominum civitatem constituentium simul sumtae, etiam referuntur inter ea quibus maxime gloriatur civitas. Nulla autem gens divitias sibi comparare potest, quae nescit ipsa proferre, quae sibi sunt necessaria. Omnia ab exteris accipere illa debet, sine quibus exstare non potest. Misera profecto est illius gentis conditio, quae beneficia a peregrinis accipit et neque cultos agros, neque officinas possidet, nec aliquid producere valet. Magna pro parte peregrinis gens illa subjecta videtur, a quibus revera pendet. Illa iniqua conditio per aliquot tempus tolerari quidem potest; valde periculosa tamen est, nam facile casus existunt, veluti bello exorto, quibus omne cum exteris interrumpatur commercium.

Prudentiae politicae praecepta vetant quominus

magna exteris auctoritas in res imperii tribuatur. Nam peregrini tutelam hujus gentis gerentes pacis tempore, facile invalidum oppriment pupillum in bello. Multa tunc et gravia huic genti imminent pericula. Fames et inopia rerum, quae ad vim injusti aggressoris repellendam sunt necessaria, ubicunque sentitur et jura sanctissima civitatis civiumque impune violari possunt, cum exteri nihil amplius advehant.

Brevi illa gens in potestatem aliorum incidet, amissam libertatem lugebit et poenitebit eam, systema tam perversum se secutam esse.

Leges autem, quae industriae civium, non peregrinae favent, simul avertunt omnes illas calamitates. Cives, cum industriam quamdam exercere cogantur, sensim sensimque ipsi conficere discunt merces, quas exteri antea advehere solebant et tandem liberati a peregrinorum dominatione, fructus industriae in prosperitate percipient (1).

§ 4. *Libera plane mercatura exstare non potest.*

Aliud etiam hîc memorandum est argumentum, quod ab adversariis liberae mercaturae vulgo affer-

(1) Vir Doct. Hopf, opere laud. pag. 79, ita de hoc argumento dicit: *Waarum sollte der englische und fransösische Manufactur- und Handelstand es nicht auch seinem Interesse angemessen und ganz natürlich finden, dass andere weniger cultivirte Nationen, Z. B. die* Bêtes Allemandes *das feld bauen, und eine Art von Heloten abgeben, damit es ihnen um so leichter werde comfortabel und faschionabel zu leben. Vor solchen Herabwürdigungen wird ein Volk schwerlich durch freyen Handel, wohl aber durch kluge Anwendung prohibitiver Maasregeln sicher gestellt werden.*

tur. Contendunt illi liberam plane mercaturam numquam aliqua in civitate exstare posse, cum rerum natura impediat, quominus ei umquam locus detur. Gravissima damna comitantur illam tam saepe laudatam libertatem, et prudentia suadere videtur, etiamsi sequentibus temporibus commodum aliquod libera mercatura civibus afferre posset, ne rerum ordo subito gravem talem subeat mutationem. Libertas mercaturae referenda est inter illa negotia, de quibus meditari philosophis licet, sed quae revera numquam locum obtinere poterunt (1).

Gravissima enim incommoda ex ejusmodi libertate oriuntur. Sunt nonnullae res quarum natura non sinit eas libere importari aut exportari et quarum commercium Princeps aequis legibus merito prohibet. Libera plane si concederetur mercatura civibus, simul iis daretur licentia, arma v. g. tempore belli hostibus suppeditandi, quibus nosmetipsos postea aggrediantur, nam amor patriae, eheu! eo valere non posse videtur, ut apud omnes cives indistincte cupiditatem lucri suprimat. Armorum copia diminuta, civitas jam in deterius abit. Illa tam saepe laudata libertas efficeret, quod civitas summas in angustias adduceretur.

Commercium servorum, cui tollendo tot egregii viri operas indefessas impenderunt et quod tandem

---

(2) Cf. H. F. Hopf, in opere laud. pag. 43, qui dicit: *Handelsfreyheit, in einem allgemeine Sinne genommen, ist ein* Unding, *so wie sich in keinem civilisirten Lande, seine Verfassung sey, welche sie wolle, under der Benennung Freiheit eine gänzliche Ungebundenheit und Gesetzlosigheit mit dem gezellige Zustande verträgt.*

Anglis, multis foederibus initis, abrogare contigit, cito per omnes orbis terrarum partes rursus floreret et multarum calamitatum causa et monumentum inhumanitatis, nullo periturum aevo, aderit. Cum haec ita sint, sponte apparere contendunt, mercaturam omnino liberam civibus, ob multa incommoda inde oritura, praebendam non esse et naturam rerum non sinere, quod illa umquam exstet; in omni civitate semper nonnullae leges mercaturam quarumdam mercium prohibentes vigebunt.

§ 5. *Flos et prosperitas Angliae prohibitioni exterarum mercium importationis originem debet.*

Argumentis supra expositis addunt aliud, quod gravitate et perspicua veritate sese quam maxime commendare existimant. Adversarii liberae mercaturae non ad ratiocinia confugiunt, quibus systema suum defendant, sed ad populorum historiam se vertere posse dicunt, quae firmis exemplis docere videtur, leges prohibitivas et gravia vectigalia exteris mercibus imposita, industriae indigenae et mercaturae favere.

Postquam armis et foederibus Societates Indiarum Orientalium et Occidentalium mercaturam ferme totam ad se trahere scivissent, patria nostra ad summum fastigium potestatis pervenerat. Mercatura, quae cum incolis harum regionum longe remotarum agebatur immensas majoribus nostris afferebat divitias (1).

(1) Conferri meretur ad hunc locum Viri Clar. E. LUZACII opus, *Hollandsch Rijkdom* etc. editum Anno 1801. Tom. I. pag. 306 seq.

Tunc florebant officinae, cum confectae et elaboratae res facile emtores invenirent et vix omnium desideriis satisfacere possent opifices laboriosi. Nostratibus, exclusis aliis, licebat hanc mercaturam lucrosam agere, quia foedera, cum Regibus harum regionum a Societatibus Indiarum Orientalium et Occidentalium, inita prohibebant, quominus exterae gentes in societatem venirent hujus mercaturae.

Civium omnium res cum bene cederent, causa civitatis in deteriores partes abire non poterat. Respublica, quamquam ratione territorii exigua, tamen summum Imperium Oceani tenebat et possidebat colonias, quae longe latiores fines habebant quam illae, quibus patria ipsa circumscripta erat. Indiarum reges mittebant legatos, dona ferentes, amicitiam et tutelam expetentes a Batavis, qui tamen, eheu! paulo post se ipsi defendere vix poterant.

Per breve tantum tempus eminebant res patriae, nam in illa prosperitate ipsa semina latebant multorum malorum, quae nostrates sequentibus temporibus passi sunt.

Ex honesta enim aemulatione ceterorum mercaturam agentium populorum, invidia, civitati nostrae exitialis, exarsit. Vicinae gentes, felicitatem Batavorum aegre ferentes et crescentem auctoritatem per mare metuentes, anxie quaerebant remedia, quibus huic felicitati finis imponeretur. Anglia viam ineundam aliis gentibus monstravit, edendo legem Parliamenti, qua hujus

et Tom II. pag. 117 seq. in quo catalogus exhibetur usurarum, quas societas Indiarum Orient. sociis ab Anno 1605—1774, solvit. Patet inde, quanta commoda haec societas patriae attulit.

insulae portus illis navibus peregrinis claudebantur, quae alias afferebant merces, quam quas regio, unde advehebantur, ipsa proferebat. Illa lex famosa, quae *Act of Navigation* vulgo vocatur, mense Octobris Anni 1651 promulgata fuit, magnum in detrimentum Batavorum, quibus dura illa lege omne ferme commercium cum Anglis interdicebatur. Statim ab Ordinibus Generalibus legati missi sunt, qui peterent, ut aliquae mutationes in illa introducerentur, nostratium commercii in favorem, sed Parliamentum Ordinibus Generalibus politicas ob causas iratum, preces exaudire nolebat. Bellum primum, quod cum Anglis nostrates gesserunt, exortum est, quamquam Batavi pacem servare ardebant. Multi fortitudine praecelluerunt, sed tamen Ordines Gen. putaverunt se omnem opportunitatem pacem componendi arripere debere.

Tandem die 15 mensis Aprilis anni 1653, pax composita est, sed legati revocationem hujus edicti obtinere non potuerunt. Societas Indiarum Orientalium pacis conditione tenebatur concedere Anglis insulam *Pouleron* et 960 millia florenorum et insuper solvendi erant 1172 millia florenorum ad resarcienda damna, quae Angli se sensisse dicebant in freto Sundico. Batavi in hoc bello multa damna passi sunt, sed aliud longe gravius iis inde exstitit damnum; Anglorum nempe mercatura ab eo inde tempore florere incepit et Batavorum evaserunt illi aemuli periculosissimi. Merces, quae olim ex Indiis Batavi advehere soliti erant, jam navibus anglicis apportabantur. Illorum navium numerus augebatur et classes comparabantur ad mercaturam agendam et tuendam,

quibus Anglia tandem tridentem Oceani nostris eripuit, quam usque ad nostra tempora servare valuit. Multae deinceps secutae sunt leges, quae exportationem indigenarum aut importationem certarum mercium, gravibus etiam sub poenis prohibebant (1). Illarum ope magnas sibi comparare potuerunt divitias, cum tantum illas merces, quae iis superflua erant, aliis venderent et pertinaciter recusarent apud alios emere merces, quas etiam patriae solum proferebat, aut quae ibi conficiebantur. Certe Angli primis temporibus systematis prohibendi merces cariore multo pretio emebant, quam quo peregrini eas offerre solebant, sed huic incommodo multa alia commoda respondebant. Pecunia omnis intra fines Angliae servabatur. Lucrum nullum percipiebant amplius exteri, sed incolis illud eveniebat. Legum prohibitoriarum ope illi se liberare poterant ab aliorum populorum auctoritate et fundamenta jecerunt illae leges Anglorum potestatis per mare. Agricultura florebat, prohibita cum esset lanarum exterarum importatio, et opifices felici cum successu elaborationi rerum primariarum operam dabant. Sic enim Angli cogebantur res in sua regione confectas emere, cum peregrinis mercatoribus hasce merces importandi facultas interdicta esset. Enumerare quaenam quantaque commoda illi inde perceperint non est hujus loci, sed illa immensa fuisse sequentium temporum historia

(1) Cf. Specimen historico-politicum Viri Cons. P. Blussé, continens historiam novarum legum de mercatus commercio externo et navigatione, ab anno 1822 in M. Brittannia latarum. Dordraci 1826. pag. 1—5.

docuit. Patet igitur hisce legibus, florem agricultarae, industriae et cum iis mercaturae Anglorum, adscribendum esse (1).

§ 6. *Pecunia numerata intra regionis fines est retinenda.*

Inter magna commoda, quae leges prohibitoriae populis praebent etiam hoc memorant adversarii liberae mercaturae, quod earum ope pecunia numerata in patria retineatur.

Veteres jam, principia genuina nostrae disciplinae ignorantes, sed experientia ducti, auri argentique exportationem prohibendam esse contenderunt. Patet hoc ex oratione a M. T. CICERONE pro LUCIO FLACCO habita. Dicit Orator in cap. 28: «Cum aurum Ju«daeorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus «vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret, «Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.» LAELIUS, qui FLACCUM in jus vocaverat, eum etiam ob prohibitam exportationem reprehendit, sed CICERO sibi certum habens exportationem auri argentique civitati, e qua exportatur, nocere, palam contendit in eo nullum adesse crimen. Dicit enim. «Quis est ju«dices, qui hoc non vere laudare possit. Exportari

(1) Cf. M. FERRIER, *du gouvernement considéré sous ses rapports avec le commerce*, qui contendit prosperitatem Franciae legibus prohibitoriis adscribendam esse.

Scriptor ANONYMUS libelli *Critische oversaye van* P. VREDE's *werk, over de vrijheid van den zeehandel.* Lugd. Bat. 1824. eandem fovet sententiam.

«aurum non oportere, cum antea saepe senatus, tum «me consule, gravissime judicavit.» (1).

Et recentioris aetatis scriptores a CICERONIS sententia non recesserunt. Contendunt omnes merces, quas peregrini advehunt pecunia solvendas esse et hoc modo magnam partem divitiarum civium amitti et pauperiores sic fieri civitates.

Propositum argumentum exemplo illustrare conabimur.

Si v. g. civitas famis tempore, a peregrinis emit frumentum centum mille florenis, post aliquod tempus nec pecunia, quae exportata est, nec frumentum, quod peregrini importaverunt, supererit. Civitas quae emit, pecuniam amittit; nam nec pecuniam, nec frumentum, quod pecuniae vice fungi debebat, amplius possidet. Peregrini autem frumenti loco florenos acceperunt. Divitiae ergo civitatis centum millibus florenorum diminutae sunt. Emolumenta etiam, quae exteri ex hac venditione percipiunt, a civitate emtrice soluta sunt et sic civitas peregrinae regionis flori favens, sibi ipsi damnum intulit.

Mercatura grave etiam damnum sentit, cum pecunia numerata exportetur. Inservit enim pecunia, cum pretium singularum rerum exprimat, emtionibus et venditionibus facile contrahendis. In regione, ubi mensura illa communis pretii deest, longe difficiliores emtiones erunt contractu et pecuniae numeratae valor

(1) TACITUS refert TRAJANUM Imperatorem aegre tulisse quotannis magnam copiam auri argentique exportari, quibus suffimenta et aromata, quae Arabes advehebant, solvebantur.

hanc ob causam augetur, quod multis incommodis ansam praebere poterit.

Ante omnia idcirco operam dare debent civitatum gubernatores, ut semper adsit satis magna copia pecuniae numeratae et curare, ut retineatur. Et hoc propositum optime attingitur prohibendo, ne emtiones cum peregrinis contrahantur, quae exportationi pecuniae occasionem praebent. Insuper civitatis interest, ut cives omnia ipsi producant, nam si illa civitas, de qua supra monuimus, ipsa frumentum necessarium produxisset, frumentum quidem amplius non exstaret, sed pecunia adesset et exteri nullum lucrum e damno hujusce civitatis percepissent (1).

§ 7. *Libera cum sit peregrinarum mercium importatio, novae se sustentare nequeunt officinae.*

Praecipue hoc argumentum urgent illi, qui contra libertatem mercaturae suffragia ferunt. Ante oculos enim ponere cupiunt grave incommodum, quod sentiretur, si libera importatio mercium peregrinarum concederetur. Negare nemo poterit (sic enim loquuntur) machinas magnam civitati, in qua inveniuntur, afferre utilitatem et merito officinas ideo referri inter fontes divitiarum publicarum. Eas aequis partibus cum agriculturae, tum mercaturae prodesse vidimus. Civitatum igitur interesse, ut jam exstructae floreant, novae exstruantur et numerus earum magis magisque augeatur, unusquisque sponte fatebitur. Videamus, num participes prosperitatis illae regiones

(1) Conf. Ch. Ganilh, *des systèmes d'économie politique*, Tom II. cap. III. pag. 84 seqq. Paris 1821.

fieri queant, quarum gubernatores liberam mercaturam considerant tamquam efficacissimum remedium, quo civium salus et commoda promoveantur.

Fingamus casum, quo Angli, exclusis aliis, machinas adhibentes soli lanas aliasque res elaboránt. Huic generi industriae prae ceteris operam navantes, mirum non est, peritissimos eos in hoc artificio evasisse, cum experientia multorum annorum magna et multa commoda iis aperuit. Neque tantum opifices ibi felici cum successu res suas agunt, sed et rustici lucrum non exiguum inde percipiunt. Illi multos greges pascunt ovium, quarum lanas non vili pretio emunt opifices (1). Mercatura etiam Anglorum officinarum effectus salutares sentit. In dies enim crescit numerus eorum, qui pannos textiles aliasque e lana confectas merces, in Franciam, Hollandiam, Germaniamque mittunt et hancce mercaturam agendo sibi suisque copiose prospicere possunt.

Ponamus porro nostrates, statim ac viderint Anglos hocce commercium faciendo magna percipere commoda, inquisivisse an bono eventu in patria eaedem res confici possint et, nulla ferme adesse impedimenta, sponte apparuisse. Brevi tempore sibi comparant nostrates machinas, exstruuntur magnis sumtibus aedificia et laete tempus exspectant, quo aemuli Anglo-

(1) Confirmatur haec sententia iis, quae memorat Vir Doct. G. von Gülich, in opere, cui titulo: *Ueber die gegenwärtige Lage des englischen und des deutschen Handels*, etc. Göttingen 1834. p. 63. *In Manchester, Glasgow und in der Nachbarschaft dieser Städte vermehrte sich die Zahl der Spinn- und der sie bewegenden Dampfmachinen von Jahr zu Jahr, und die Bevölkerung nahm in keinem Theile des Inselreichs so ausserordentlich zu als hier.*

rum et participes fient lucri, quod vicini adhuc soli perceperant. Machinae in patriam ex Anglia sunt advectae et lanarum elaborationis periculum faciunt opifices nostri. Sed longe temporis spatium non requirebatur, ut pateret, pannorum textilium a civibus confectorum pretium longe majus esse, quam quod Anglis solvendum est. Discrimen pretii duabus praecipuis causis adscribendum esse opifices nostri profitentur; nempe minori experientiae in hoc industriae genere et mercedi longe majori, quae mercenariis est solvenda.

Angli nihilominus (ut exemplum prosequamur), liberae mercaturae favore utentes, progrediuntur in harum mercium importatione, cum multi inveniantur, qui pretium majus quod nostrates exigunt, solvere recusent. Angli aemulationem non metuunt et conatus opificum nostrorum derident. Illis, in augustias redactis, unicum superest remedium, quod consistit in intercessione Imperantis. Ad illum mittuntur nonnulli opifices, qui petant (ne omnes operae, impensae ac labores inutiles reddantur) ut pannorum textilium ex Anglia importatio prohibeatur, aut saltem, ut tanta in importatione exigeantur vectigalia, ut, iis auctum, pretium aequiparetur pecuniae, quam opifices nostri pro in patria elaboratis rogunt. Discrimen pretii, si hoc modo sublatum est, aliquo cum successu, nostratibus in elaboratione progredi licet. Angli, quorum mercatura exactis vectigalibus impedita est, apud nos elaboratas lanas vendere nequeunt, alias regiones adire debent. Nostri hisce legibus tuti ab Anglorum aemulatione, usuras sortium, quas in machinarum comparationem

aedificiorumque exstructionem adhibuerunt, una cum fructibus uberrimis industriae percipient. Multi civium, antea pauperes, honeste victum sibi nunc quaerere possunt, et pecunia retinetur in patria, quae olim Anglis solvebatur.

Tantos habere potest intercessio summi Imperantis effectus. Vectigalia, si concessa non essent, officinae illae novae non exstarent et semper cives nostri ab Anglis pannos textiles accipere tenerentur (1). Patet igitur liberam importationem perniciosam esse civium industriae, cum prohibeat, quominus aedificentur officinae, quarum flos tantum et patriae et civibus praebet commodum. Tot saluti patriae ponuntur fundamenta, quot exstruuntur officinae (2).

---

(1) Cf. Vir. Doct. M. J. Fraenzl: *Ueber Zölle, Handelsfreyheit und Handels-vereine.* Wien 1834. pag. 16 et 20.

(2) Exemplum profert Vir. Doct. H. F. Hoff, in opere laud. pag. 228. *Gesetzt, der verkehr in einem Lande hätte keine andere Beschränkung und Auflage zu tragen, als solche, die ihm aus finanziellen Rücksichten auferlegt würden; nun träte aber zu Gunsten der inländischen Tüchererzeugung die verfügung ein, dass von jeder Elle eines aus dem Auslande eingeführten Tuches 1 Gulden soll entrichtet werden müsste; so käme die Elle, die man sonst etwa mit 5 Gulden bezahlte auf 6, und der Bedarf zu einem Rocke um 3 Gulden höher als vorher zu stehen. Nach dem in bürgerlichen Leben gewöhnlichen Laufe pflegt man sich nicht jedes Jahr ein neues Kleid beyzulegen, und man kann höchtens annehmen, dass sich diese Auslage nach zwey Jahren wiederholt, und mithin die sogenannte Steuer jährlich 1½ Gulden beträgt. Rechnet man nun eine Familie zu 5 Personen, und auf jede derselben in Durchschnitte 2 Gulden, welche sie an erhöheten Zölle für auswärtige Fabricate zu zahlen hätte, so wäre der ganze jährliche Betrag, der ihr um der einheimischen Industrie willen zur Last fiele, nicht mehr als 10 Gulden; ein Verlust, die ihrem häuslichen wohlstande keinem wesentlichen Nachtheil bringen kann.*

§ 8. *Exportatio certarum mercium ideo est prohibenda, quia libera cum daretur, illarum copia brevi deerit.*

Prudentia, quam principes in civitatis negotiis administrandis adhibere debent, suadere iis videtur, ne earum mercium libera concedatur exportatio, quarum copia a natura ipsa definita est, et quas proferre, quarumve quantitatem augere, mortales non valent. Exemplo illustrare conantur argumentum allatum et haud difficile esse putant ostendere, quaenam quantaque imminent pericula civitati, quae temere liberam harum mercium exportationem civibus concessit.

Carbones fossiles (*steenkolen*), quos nonnullis regionibus natura larga manu donavit et quos aliis contra plane recusavit, merito hodie inter eas merces numerantur, quarum magna agitur mercatura. Experientia enim docuit illos majorem gradum in se continere caloris, quam lignum aut aliae res, quae comburuntur. Mirum igitur non est, eos in omnibus ferme officinis adhiberi, cum et pretio longe minore sese commendent (1). Cum igitur appareat illorum summam esse utilitatem, oportet civitatum gubernatores curare, ne iis abutantur cives et obstricti sunt, si civitati prospicere revera velint, ad ferendas leges, quibus illorum impediatur exportatio.

(1) Erroneam sententiam proferre non sunt dicendi illi, qui contendunt, carbonum fossilium abundantiae Angliam non exiguam partem floris debere, quo gaudent multae officinae, quae ibi inveniuntur. Cf. P. W. A. GREVELINK, spec. laud. pag. 221 et auctoris ibi laud.

Verum quidem est in Anglia, Borussia et parte meridionali Belgii magnam adhuc esse copiam carbonum fossilium, sed unusquisque facile intelligere potest, saepe iteratis gravibus exportationibus hujus mercis, copiam illam diminui et serius ocius tempus exstiturum, quo in Anglia v. g. non amplius invenientur, aut saltem majore longe pretio venibunt, cum longe majores erunt adhibendi labores, ad illos quaerendos. Magnas profecto divitias e carbonum fossilium venditionibus Angli sibi comparare poterant, sed lucrum hoc modo acquisitum in dies diminuetur, nam aliis e provinciis carbones fossiles in Angliam advehendi erunt et exteri tantum pecuniae ab Anglis exigere poterunt, quantum iis placebit, cum eos ab exteris emere necessitate sint coacti. Alii igitur revera lucrum percipient et cito Anglia sequelas sentiet liberae exportationis. Officinis magna imprimis imminebunt pericula. Nullae ferme aliae gentes hodie cum Anglis possunt aemulari, sed pretium carbonum fossilium immoderate auctum efficiet, quod tantum non amplius intercedet discrimen, ratione pretii, inter Anglorum merces et aliorum. Exteri ipsi officinas exstruent et facile sic Anglorum mercibus carebunt. Huic calamitati accedet multarum officinarum demolitio, cum exiguus earum numerus sufficiet, ut desideriis indigenarum satisfiat. Res cum ita sese habeant, prudentia suadere videtur, quod illarum rerum exportatio, quarum quantitatem natura definivit, prohibeatur; et simul patet gravibus incommodis liberam mercaturam ansam praebere.

Neque silentio praetereundum est aliud grave in-

commodum, quod memorat Vir Doct. H. F. Hopf in opere jam saepius laud. pag. 42. Proponit scriptor casum, quo societas nonnullorum mercatorum, certa in regione omne frumentum coëmunt et extra regionis limites illud vehi curant; cum sibi persuasum habeant, messe, quae exspectatur, omnium civium illius regionis desideriis satisfactum non iri. Hoc si accidit, mercatores illi pretium magnum ab infelicibus civibus extorquere possunt et illorum lucrum damnum constituit, quod omnes patiuntur cives. Fames, veluti arte constituta, locum habebit et ostendet, quasnam salutares afferat effectus libera mercatura. Tale factum (ita pergit scriptor) fautores liberae mercaturae inter exceptiones referunt, sed natura hominum eo tendere videtur, ut unusquisque sibi tantum prospiciat, et facultates suas, opes viresque adhibeat, ut sibi consulat, saepe etiam cum detrimento aliorum. Omnem fere opportunitatem arripiunt divitias suas augendi, quamquam damnum aliorum ejusmodi agendi rationem sequitur. Leges positivae huic studio finem imponere vix possunt.

§ 9. *Elaboratae tantum res civitati exportare prodest.*

Jam Vir Celeberrimus Adam Smith protulit sententiam de industria, tamquam fonte omnis utilitatis, quae rebus inest, cujus veritatem hodie omnes de Oeconomiae Politicae disciplina scriptores, agnoscunt. Contendit ille rerum pretium originarium definiendum esse e labore, quem homines in earum confec-

tionem impenderunt (1). Hoc si verum est, sponte patebit civitatis quam maxime interesse, ut civibus praebeatur opportunitas vires suas physicas et intellectuales adhibendi et excolendi. Sic enim paupertati, tot scelerum matri, efficaciter finis imponetur et per totam civitatem reperientur documenta prosperitatis, qua omnes cives gaudent. Illi jus habere videntur exigendi a magistratu, ut quantum fieri possit iis praebeatur occupatio. Obligati sunt principes, vi muneris quo funguntur, ad salutem civium non tantum tuendam sed et promovendam et igitur cum appareat, e labore subditorum adsiduo illam prosperitatem et salutem enasci, sanctissimum eorum est officium, excogitare media, quae eo inservire possunt.

Non requiritur, ut civitatis sumtibus magna et splendidissima exstruantur aedificia, neque opus est, ut aquaeductus v. g. ibi magna pecunia construantur, quo natura jam multis fluminibus terram divisit. Talia suscipere est stultorum. Civitas tum damnum patietur et impensae planae inutiles erunt. Sed vias struere in iis regionibus, quibuscum satis magnum commercium agere possumus et ubi nullae ferme inveniuntur; agros a vi fluctuum aggeribus liberare similiaque sunt laudanda opera. Si civitas pauperibus auxilium ferre vellet, optabilius foret, eleemosynas iis distribuere, quam eorum operas adhibere in confectionem rerum, quae nullam afferre possunt utilitatem. Legislatoris est solatium praebere miseris. Leges sunt ferendae, ut hoc propositum

(1) Cf. Cicero, *de officiis*, II. c. 3.

obtineatur, quibus importatio mercium, quae jam elaboratae sunt, prohibetur et aliae, quae cavent, ne res primariae (id est: quae nondum ad illum gradum perfectionis pervenerunt, quem attingere possunt) exportentur.

Pretium enim rerum primariarum elaboratione saepe centuplex redditur et damnosum igitur esset, eas aliis tradere ut elaborentur, quia lucrum, quod harum rerum emtores percipere sibi proponunt, amitteretur. Lanae v. g. si venduntur, tantum sunt agricolae, qui lucrum aliquod percipiunt, sed si leges adsunt, quae earum exportationem impediunt, opifices et cum iis multi mercenarii aliique (uti illi qui pannos textiles colorant) non exiguis etiam commodis fruuntur.

Recte itaque, secundum illorum opinionem, Vir Doct. Chaptal, in opere *Industrie française* IV part. ch. 3. de utilitate legum, quae exportationem primariarum rerum prohibent, agens, dicit: «qu'une nation agricole livre pour un million de laines à une nation manufacturière, celle-ci avec le quart de cette laine, fabriquée en étoffes, va payer la nation agricole.»

Nonne absurdum foret, si aliqua civitas, mercaturam etiam cum remotarum regionum incolis agens, concederet civibus facultatem exportandi arbores caesas, e quibus naves construuntur, cum postea ab arborum emtoribus naves plane instructas emere sint coacti? Mercedem, quam fabri tignarii meruerunt naves aedificando, incolae civitatis, quae arbores vendidit, merere potuissent.

Navium constructio multorum hominum industriam

exigit, nam necesse est ut ferrarii, illi qui funes velaque conficiunt, pictores et multi alii operas suas adhibeant. Illi autem industriam suam exercere non poterunt et plane inutilis erit illorum industria, si civitas ab aliis confectas naves pecunia emit. Sequela erit, quod operarii se in alias regiones recipiant, quarum principes melius subditis suis prospiciunt. Restat ut verbo moneamus etiam de quisquiliis (*lompen*), ex quibus hodie chartae conficiuntur.

Chartarum usus cum ubivis permagnus sit, multi fuerunt, qui, illarum confectioni operam dare cupientes, eum in finem opificia aedificaverunt. Illa tamen numquam florere posse statim videbant, si civibus liceret res primarias, quae confectioni inserviunt, peregrinis vendere. Industria contra nationalis promovetur, si harum rerum exportatio prohibetur, cum sic alii cogantur chartas a civibus confectas emere. Damnum etiam sentiunt exteri, cum tam facile res primarias emere nequeant. Si autem indigenis liceret illas aliis vendere, inde proflueret, quod peregrinorum florerent opificia et chartarum confectio in regione nostra numquam felici cum successu locum habere posset. Lex, die 3 mensis Octobris anni 1816 in patria nostra promulgata, ut industriae civium faveatur, inter alia quisquiliarum exportationem merito prohibet.

§ 10. *De sumtibus, qui ibi exiguntur, ubi leges vigent, quibus importatio aut exportatio mercium prohibetur.*

Ultimo loco dicendum est de argumentis, quibus

fautores systematis prohibitorii aut gravium vestigalium, sumtus (quos graves et molestos civitati esse agnoscunt) defendunt, qui solvendi sunt publicanorum ingenti agmini, qui ad vectigalium exactionem sunt necessarii (1).

Primo loco, secundum illorum opinionem, videndum est, quinam sumtus illos solvant, et secundo, qui ex hisce sumtibus commoda percipiant.

Si vectigalia exiguntur, cum peregrinae merces importentur, incolae nostri non sunt, qui hosce sumtus solvunt. Hisce sumtibus diminuitur tantum lucrum, quod percipere sibi proposuerant peregrini et aequum esse videtur, quod pro facultate apud nos suas merces vendendi aliquid nostro solvant aerario. Gaudent illi tutela juris nostri et merito pro hac tutela certa pecunia ab iis exigitur. Qui emolumenta quaedam percipit, eum etiam onera nonnulla ferre oportet. Aerarium nostrum magnam ita pecuniae vim sibi comparat, cum indigenae ne obolum quidem solvant. Apparet igitur vectigalia, in mercium importationem statuta, tantum exteris molesta esse.

Quodsi civitas vectigalia imponat mercibus, quae exportantur, cives nostri sunt, qui incommoda sentiunt, attamen illi non habent, quod querantur, nam tunc haecce vectigalia consideranda sunt ut tributa, quae *indirecta* vocantur. Cives aliquod commodum percipere sperant exportando merces et civitas merito etiam certam partem lucri sperati sibi

(1) Cf. Sismondi, *Nouv. Princ.*, Tom. II. pag. 247 seqq. Malthus, *Principes d'économie politique*, II. pag. 236 seqq. et Diss. laud. Viri cons. et amiciss. D. A. Portielje, pag. 109 seqq.

vindicat. Secundo loco videndum est, quinam ex hisce sumtibus commoda percipiant.

Quamquam res revera ita sese habeat, uti supra animadvertimus (sic enim pergunt), tamen contra sumtus, qui publicanis sunt solvendi, argumenta multi protulerunt. Sed immerito (1). Portitores sive publicani, qui vectigalia imposita percipiunt et curant ne leges de importatione aut exportatione mercium, in commodum civium latae, violentur, vulgo sunt homines, qui aut bello aut aliis modis bene de civitate meruerunt, sed vulneribus honestis aut morbis invalidi a civitate munus acceperunt, quo honeste se sustentare possint. Cives igitur solvendo vectigalia, civibus solatium praebent. Merces, quae iis solvitur, manet in civitate et, quum consumatur, civibus restituitur. Mercatores jure contendere non possunt, portitores illorum vivere sumtibus, nam in mercaturae commodum sunt constituti et curant, ne quid earum legum in fraudem fiat, quae ut mercaturae prospiciatur latae sunt.

(1) Cf. Diss. laud. Viri cons. D. A. Portielje, pag. 173.

PARS ALTERA.

ENUMERANTUR ARGUMENTA, QUAE VULGO AFFERUNTUR IN FAVOREM LIBERAE INDUSTRIAE ET MERCATURAE.

Parte praecedenti attulimus argumenta praecipua, quae vulgo afferri solent ab iis, qui contendunt leges prohibitorias et gravia vectigalia saepe necessaria esse ad industriam patriam tuendam et promovendam. Illis argumentis jam opponere sententias eorum, qui liberae mercaturae favent, in hoc parte nobis proposuimus.

§ 1. *De jure merces prohibendi aut gravia vectigalia in earum importatione aut exportatione exigendi, eo proposito, ut civium industriae faveatur.*

Duplici ratione considerari possunt hujusmodi vectigalia. Primo enim loco consideranda sunt ut tributa, quae *indirecta* vocantur et quae exiguntur ad solvendos sumtus omnium eorum, quae in favorem et commodum illorum, qui mercaturam agunt, sunt exstructa aut confecta, v. g. canalium. Illa improbare nemo jure potest. Merito etiam in mercium importationem aut exportationem eum in finem scri-

buntur tributa, ut partim inde solvantur sumtus, quos civitatis administratio exigit et inde (solvendis his tributis) mercatura pro parte sua etiam aliquid confert ad onera publica ferenda (1). Civitas enim nulla exstare potest, in qua non quaedam solvuntur sunt tributa; nam primum illi (quorum numerus non est exiguus), qui operas suas adhibent in salutem civium et rerum civitatis procurationem, jure petunt, ut sibi concedatur honorarium quoddam; porro alios in fines etiam quin pecunia publica opus sit, nemo dubitat. Secundo autem loco tributa considerantur ut remedia, quibus optime industriae civium prospiciatur. Saepe ita Principes, specie salutem civium procurandi utentes, illa introduxerunt, quum revera in detrimentum verterent omnium ferme civium. Principibus multis nihil optabilius erat, quam tale remedium, quo magnam summam pecuniae sibi comparare poterant. Fiscus, bellorum sumtibus aut luxuria prodigi Imperientis exhaustus, novos ita acquirebat fontes divitiarum. Sed si propius rem contemplamur, illi Imperantes non tantum hoc modo jus civium in liberum industriae exercitium violaverunt, sed etiam illorum commoda plane neglexerunt. Juris publici praecepta docent leges, quae civium industriam nimis coarctant, esse injustas et genuina principia Oeconomiae politicae ostendunt hujusmodi leges civium felicitati esse noxias easque minime proposito, quo promulgatae sunt, respondere.

Paulo accuratius autem videamus de injustitia

(1) Cf. ad h. l. specimen oeconomico-politico-juridicum Viri Cons. P. W. A. Gevelink. Lugd. Bat. 1832. pag. 118 seqq.

legum, quae, ut industriae patriae prospiciatur, vectigalia gravia scribunt in mercium exportationem et importationem, aut eas plane prohibent.

Verum est, homines nonnulla jura abdicare debere, cum in civitates se recipiant, sed non omnia jura neque omnem libertatem suam abdicare, aut in alium transferre possunt. Inter haec jura merito jus libere exercendi industiam refertur. Industria tantum sua et indefesso labore pauperes homines sibi comparare possunt, quibus se sustentent. Illam facultatem si iis adimas, haec acquirere non possunt et versabuntur sic in conditione miserrima.

Propositum civitatis etiam hoc est, ut praebeatur civibus facultas dotes suas excolendi. Princeps igitur, qui leges promulgat, quae illam facultatem iis adimunt aut diminuunt, violat propositum civitatis una cum sanctissimo jure civium. Ea facere, quae honeste felicitatem nostram promovere possunt, non solum naturalis felicitatis appetitus praecipit, sed jubet quoque ipsa ratio. Prohibet ille princeps, quominus subditi se sustentent industria sua, et cogit illos iniqua in conditione versari (1).

Et nemo negabit civitatis propositum negligere Principem, cum leges scribat, quibus importatio mercium aut earum exportatio prohibetur, aut quando tam gravia a mercibus, cum importentur aut exportentur, exi-

---

(1) Conf. J. J. Haus, *Elementa doctrinae juris philosophicae sive juris nat.* Gand. 1824. § 65 et 71 seqq. et Vir Consult: P. J. Tiding van Berkhout, dissertatio Philosophico-Juridica inauguralis, *de eo, an et quatenus a jure naturali jus positivum recedere juste possit.* Amstel. 1834. pag. 79 seqq.

guntur vectigalia, ut revera importationem aut exportationem impediant. Si v. g. importatio peregrinarum quarundam mercium prohibita sit, cives ipsi has merces conficere coguntur aut se ab iis abstinere. Pretium autem harum mercium, cum in patria conficiantur, saepe majus est illo, quod peregrini exigunt. Cives igitur majores impendere debent sumtus, ut res easdem acquirant, quae alibi minore pretio emere potuissent. Illorum conditio ideo miserior est quam necesse et civium felicitas imminuitur. Idem accidit, quando exportatio patriarum mercium prohibetur. Tunc enim is, qui hujusmodi negotia possidet, ad eorum venditionem se coactum videt, e qua minorem accipit pecuniam, quam exteri ei pro iis mercibus lubenter solvissent. Damnum illud pati debet, si sibi suisque prospicere velit. Facultas libere disponendi de suis rebus domino harum mercium aufertur. Jus igitur dominii illae leges violant. Sic multis modis tam directe quam indirecte libera coarctatur civium industria.

Directe illud fit monopoliis et collegiorum opificum institutione. Olim monopolia ab Imperantibus facile impetrabantur, qui sic *paucis* tribuebant jus vendendi certas merces, quod *unicuique* licere oportuerat. In collegiis opificum, quorum institutio multum antiquitus ad frangendam Nobilium dominationem valuit et quae magna tunc erant praesidia principum in vindicanda sua adversus Nobiles potestate (1),

(1) Conf. meretur Viri Clar. H. W. TYDEMAN *Verhandeling over de gilden*, in operibus novis a societate Zeelandica editis, Tom. IV. et specimen Historico-Politicum inaugurale Viri Cons. et Amiciss.

numerus sociorum plerumque definitus erat, quibus, ceteris omnibus exclusis, permissum erat hanc illamve partem industriae exercere (2).

Coarctatur indirecte industria civium, quando Princeps his vel illis, certam partem industriae exercentibus, dat privilegia aut concedit praemia, quae aliis negat. Sed praemia et privilegia in civitate facile omitti possunt. Is enim, qui industriam quamdam exercet, maximum praemium jam accipit, si inde sibi et suis honeste prospicere potest. Cives praeterea optime sciunt, quaenam genera industriae ipsis sint utilia et desistunt sponte sua a rerum illarum confectione, quae damnosa iis est et talem industriam numquam exercebunt, si praemia pollicita non tam magna sunt, ut inde se sustentare possint (3).

Principes etiam leges promulgando, quae pretium mercium vendendarum definiunt aut quantitatem mercedis, mercenariis, certum genus industriae exercen-

---

C. J. Fortuijn, *de Gildarum historia, forma et auctoritate politica, medio imprimis aevo.* Amstel. 1834.

(2) Cf. J. Droz., *Économie politique.* Paris 1829. Lib. II. pag. 119, ubi historiam refert collegiorum opificum in Francia. Legimus ibi, Henricum III in edicto anni 1581 dixisse: *Permettre de travailler est un droit dominal et royal.* Ludovicus XIV restringebat illam sententiam: «*il n'appartient,* ita dicebat, *qu' aux rois de* «*faire des maitres des arts et métiers.*» (Edictum anni 1691.) Cf. Vir. Cons. et Amiciss. D. A. Portielje, Diss. laud. pag. 147. seqq.

(3) Cf. Benjamin Constant, in opere *Cours de politique constitutionelle.* Tom I. pag. 368, et Vir Cons. P. W. A. Gevelink in specimine laudato, pag. 51, ubi agitur de effectibus praemiorum, quae tribuuntur ad industriam quamdam promovendam. Cf. etiam *Gewerb- und Handelsfreiheit,* auctore J. C. Leuchs. Nürnberg 1827. pag. 285. Ricardo, *Des principes de l'économie politique et de l'impôt.* Paris 1819. Tom. II. pag. 168.

tibus, ab opificibus solvendae praescribunt, putant se illorum commodis efficaciter ita prospicere, sed non vident hujusmodi leges inutiles et injustas esse et revera illorum commodis maxime contrarias esse, quorum in favorem latae esse dicuntur. Nemo enim jure et recte definire potest quantitatem mercedis, qua contenti esse debent operarii, quorum facultates et merita saepe maxime inter se differunt. Si mercedes certa lege constitutae majores sunt iis, quae vulgo solvuntur, opifices grave sentiunt damnum; si autem sunt minores, operarii merito recusare posse videntur operas suas in illo genere industriae praestare. Quo jure ad eas praestandas cogerentur? Hujusmodi igitur leges multis incommodis ansam praebent.

Nonnulli liberae industriae fautores longius procedunt et nullis limitibus circumscriptam libertatem vindicant. Ita v. g. civitatis gubernatori jus denegant statuendi, ne medicina in civitate exerceatur nisi ab iis, qui, instituto examine, praeclara documenta protulerunt peritiae suae in hac disciplina; ne pharmaceutae sint, nisi publice recepti et probati, etc. Alii autem, quamquam liberae industriae faveant, tales tamen leges ferendi jus principi concedendum esse putant. Sic neque improbandum existimant, quod Imperantes concedant monopolia illa quae vulgo *Brévets d'invention* vocantur; juste enim inventorem petere contendunt ut commoda, e sua inventione oriunda, per aliquot saltem annos solus percipiat (1).

(1) Conf. ad hunc locum J. Droz., op. laud. pag. 136 seqq., quo agit de iis casibus, in quibus necessario libera civium industria co-

Sed videamus jam porro §§ seqq., quaenam e legibus prohibitivis vulgo videantur sequi.

§ 2. *Commoda nonnullorum civium vectigalibus aut prohibita importatione mercium augentur, sed multis aliis grave inferunt damnum.*

Exposuimus § praecendenti opinionem fautorum libertatis industriae et mercaturae, leges prohibitorias esse injustas, quippe iis libertatem civium vel tolli vel certe nimis coarctari. Hoc autem paragrapho eos contendere videbimus commoda quidem nonnullorum civium hisce legibus augeri, sed in detrimentum aliorum. Dissentientes animadvertunt emtiones peregre contractas pecuniae numeratae copiam in patria diminuere; porro dicunt: si cives nostri apud exteros eas merces emunt, quarum confectio in patria etiam procedere potest, sortes patriae in florem regionis peregrinae adhibentur. Seorsim has quaestiones tractabimus. De priori dubio infra (§ 6) dicturi sumus, sed hic secundum allatum argumentum considerabimus.

Praecipua causa cur cives apud alias gentes merces emant, cum eaedem in patria etiam conficiantur, est, quia minori pecunia multo plures aut meliores apud illas sibi acquirere possunt merces, quam quas in patria eodem pretio obtinerent. Neque querendum est de sortium exportatione. Transeunt tantum illae

---

arctari videtur. K. W. Rau, *Lehrbuch der Politischen Oeconomie.* Heidelberg 1828. Tom. II. pag. 209. seqq. Viri Cons. P. W. A. Gravenhorst, spec. laud. pag. 251.

in merces, quae sortes repraesentant et illa permutatio damnosa iis certe non est existimanda, nam relicta est iis est plena libertas res illas ita permutandi aut non permutandi. Si ex illa permutatione damnum aliquod civibus necessario existere deberet, putandum est cives merces suas ita non esse permutaturos. Nemo enim sciens et volens conditionem suam pejorem reddere volet. Si igitur pecuniam permutant in merces, aliquod lucrum ex illa permutatione se percepturos esse sperant. Non diminuuntur civitatis divitiae, nam emtae merces sortium vice funguntur. Verum est cives nostros, emendo merces peregre confectas, exteris favere, sed tamen sua commoda sic minime negligunt. Emunt ideo ab exteris merces, quia illae ab iis minori pretio venduntur, quam in patria, ubi majores exiguntur sumtus. Et recte ita cives nostri faciunt. Nonne absurdum foret apud eum emere merces, qui illas majore pretio aut pejores vendit, cum vicinus easdem minore pretio aut meliores nobis offerat? Idem dicendum foret, si nos merces quasdam, quae in patria elaborantur, quamquam cariores peregrinis, nihilominus emeremus, perverso studio salutem patriae promovendi ducti. Sed ejusmodi quid locum numquam obtinebit, ubi libera est mercatura. Consumentes ibi merces ement ab illis, qui optimas res vendunt minimo pretio, cum omnes eo tendant, ut quam plurimas res sibi exiguo pretio comparent. Patet igitur cives magnum detrimentum passuros esse, si exteris interdicatur facultas merces huc advehendi aut si gravia vectigalia exigantur, cum importentur,

quibus auctis pretium exterarum mercium patriarum aequiparatur pretio. Debebunt enim sic consumentes majores impendere sumtus in mercium emtionem, quam qui necessarii sunt. Nam certum est divitias civium diminui, si solvendum est iis pretium praeter modum auctum (1). Redituum partem, si servat paterfamilias, qui minori pretio res emit, hanc ipsam partem rursus adhibere potest ad alias res sibi comparandas quibus indiget. Conditio ejus ideo melior facta est. Hoc si valet de uno cive, id verum est etiam de plurimis et denique de toto populo.

Neque tantum consumentibus, sed et iis, qui res conficiunt, utile est, quod merces exiguis pretiis vendantur (2). Lucrum, quod e singularum harum rerum venditione percipitur, minus quidem erit, quam quod antea capiebant opifices, sed multi etiam alii homines sibi tunc merces illas comparare poterunt, si earum pretium diminutum est. Gravia autem

---

(1) Recte hoc imprimis observavit SAY, Op. laud. Tom. 2. pag. 342. «*Nos revenus, à quelque somme qu'ils se montent, sont* «*dans une lutte perpetuelle contre tous nos besoins. Ils sont dimi*-«*nués par chaque sou, que l'on fait payer de plus et que nous* «*pourrions payer de moins. La nécessité où l'on met les consom*-«*mateurs de les payer ce prix, équivaut complètement pour eux à* «*une diminution de revenu; car notre revenu à tous, quelle qu'en* «*soit la source, est d'autant plus grand qu'il peut nous servir à* «*acheter plus d'objets de consommation; et ce que nous donnons* «*de plus pour un objet, diminue d'autant ce que nous pourrions* «*consacrer à l'achat d'un autre.*»

(2) Cf. J. B. SAY, Op. laud. Tom. II. pag. 38 et 343. Spec. laud. Viri Consult. P. BLUSSÉ, pag. 57. VAN PANHUIJS, Specimen Oecon. pol. *de tributis* Lugd. Bat. 1833. pag. 93. SAY, *Traité d'écon. pol.* vol. III. pag. 156 seqq. eandem confirmant sententiam.

vectigalia si exiguntur, numerus rerum, quas cives sibi comparare possunt, statim diminuitur, quia illa pretium rerum augent. Cives igitur omnes sentiunt damnum, si Princeps, precibus obsequens rusticorum aut opificum, qui merces suas vendere nequeunt eodem pretio, quo alii eas vendunt, vectigalia exigit a peregrinis ejusdem generis mercibus cum importentur, aut illarum importationem directe prohibet. Rusticorum aut opificum profecto conditio hisce legibus melior redditur et locupletes fieri possunt, sed in damnum aliorum civium.

Putaverunt diu scriptores, ingentes divitias attendentes illorum, qui exclusis aliis mercaturam aliquam vel industriam exercebant, monopolia civitati utilissima esse; sed non viderunt, divitias illas accumulatas partes esse divitiarum civium aliorum, quibus illae partes vi hujusmodi privilegii extortae erant. Divitiae civitatis hac ratione non auctae, sed tantum in paucorum possessionem translatae sunt.

Omnibus ejusmodi privilegium aliquid adimit, quod paucis restituitur.

§ 3. *Gens, quae ab exteris res multas emit, huic ideo minime subjecta censenda est.*

Eleganter jam dixit decus patriae nostrae, scriptor immortalis operis de jure Belli ac Pacis (Lib. II. cap. 2.), Deum non omnia omnibus terrae partibus concessisse, sed per regiones sua dona distribuisse, ut homines, alii aliorum ope indigentes, societatem colerent. Itaque mercaturam excitavit, ut, quae usquam nata sunt, iis communiter frui omnes possint.

Et revera divina Providentia res ita componere voluisse videtur, cum variis regionibus varios tribueret fructus, ut sic mutua et arcta exstaret necessitudo inter homines, diversissimas etiam regiones inhabitantes. Nulla est Europae civitas, quin proferat merces, quas aliae civitates aut prorsus non, aut non tam bonas, aut non tam exiguo pretio proferre queant. Nulla est civitas, quae omnia illa negotia commode proferre potest, quibus indiget (1). Natura ipsa, variis regionibus tribuendo merces, omnes quasi invitat gentes ad permutationem quamdam generalem mercium, et populus, qui huic naturae legi temere se opponit, cito sentiet damna gravia et auctor ipse sibi erit multorum malorum. Non impune enim populi rerum ordinem evertunt (2).

Quamquam res revera ita sese habeat, Principes tamen maxime ob duas rationes leges prohibitorias necessarias ducunt. Prima est metus, ne nimia evadat auctoritas, quam gens illa extera, a qua res etiam necessarias emere debemus, sensim sensimque sibi vindicat in res alterius populi, quocum magnam agit mercaturam et cui necessaria advehit ad vitam aut libertatem civium conservandam, uti frumentum, arma, similia, Putant illi, dignitatem civitatis

(1) Recte etiam animadvertit Vir. Doct. K. MURHARD, *Theorie und Politik des Handels*, Göttingen 1831. Tom. II. pag. 74, nullam dari civitatem, quae tot sortes possidet, ut omnia genera industriae rite excolere possit. P. VREDE, *Proeve over vrijheid des Zeehandels*, Tom. I. pag. 142.

(2) Cf. Vir Ampl. VAN HOGENDORP in *Bijdragen tot de huishouding van Staat*. Tom. II. pag. 84.

alicujus non pati, ut omnia, ad existentiam et salutem populi necessaria, ab aliis gentibus accipiat. Porro sibi persuasum habent (et haec est secunda causa), industriam civium quam maxime extendi, si omnia illa, quibus cives indigent, in civitate conficiuntur. Hanc autem quaestionem § 8 tractabimus.

Paragrapho autem praecedenti jam vidimus valde utile esse civibus, ut pretium rerum sit exiguum. Si igitur constat, alias gentes vendere posse merces, quarum pretium, si in patria conficerentur, longe majus esset, unicuique patebit, civibus multo plus expedire, quod illas merces ab aliis emant, quam quod eas ipsi conficiant.

Sed monent porro dissentientes, facile tempus existere posse, quo omne interrumpatur commercium gentis illius exterae nobiscum et depingunt miseram conditionem populi, qui omnia ab aliis accipere assuetus, subito privatur rerum advectione et mercibus necessariis. Vanus autem illorum est metus, qui putant umquam casum illum existere posse, quo omne commercium cum aliis populis tollatur et falsa est opinio gentem illam, cui alii merces suas advehunt, ideo illis subjectam esse (1).

Bello v. c. oborto, pleraeque omnino clausae sunt viae, per quas merces importare aut exportare solebant cives; sed mercatores alios tunc cito excogitant modos, quibus merces advehi queant. Omnes eo tendunt mercatores, ut aequilibrium (sit venia verbo) quod bello ruptum est, quantum possit, re-

(1) Cf. Murhard, in opere *Politik des Handels*. Göttingen 1831. pag. 178.

stituant. Imperator Napoleon, cum Anglorum odio omne prohibere vellet commercium inter subditos sociosque suos et Anglos et ideo systema, quod vulgo dicitur *continentale*, introduceret, non omnia tamen vincula inter Anglos, et populos continentis rumpere, nec omnes vias claudere potuit (1). Fraude tunc importabantur merces prohibitae et historia hujus systematis docere videtur, vim legum ferme nullam esse, quando commoda maxima illorum, qui illis legibus obedientiam praestare debent, gravissime laeduntur: docet eadem poenas saepe graves, quae in hujusmodi legum violationem scriptae sunt, non absterrere homines. Latius enarrat SAY modum, quo sub regimine Napoleontis ex Anglia mittebantur et in Franciam importabantur merces prohibitae. Importabantur certe, licet per longissimum iter (2).

Male etiam judicare illos qui putant illam gentem fame perituram esse, quae adversa tempestate

(1) Cf. de illo systemate specimen Juridicum inaugurale Viri Consult. et Amiciss. D. M. VAN GELDER DE NEUFVILLE, in quo tractantur variae quaestiones de mercatura et navigatione gentium in bello mediarum. Amst. 1834. pag. 59 et seqq. Specimen historico-Politicum Viri Cons. P. BLUSSÉ, pag. 36.

(2) «Pendant le règne de Bonaparte on expédiait à Londres des «bâtimens chargés de sucre, de café, de tabac, de coton filé, pour «Salonique, d'où ces marchandises étaient portées sur des chevaux ou «des mulets, à travers la Servie et la Hongrie, dans toute l'Alle«magne, et même en France; de sorte qu'une marchandise que l'on «consommait quelquefois à Calais, venait d'Angleterre, qui en est à «sept lieues, après avoir fait un détour, qui équivalait pour les frais «à un voyage de deux fois le tour de la terre.» SAY, *Cours d'écon. polit.* II. p. 342, in nota. Cf. Vir Ampl. G. K. VAN HOGENDORP, *Lettres sur la prospérité publique*. Amst. 1830. Tom. I. pag. 8.

aut sterilitate fructus ex agricultura non percipit, fautores liberae mercaturae contendunt. Frumentum, quo illa gens indiget, alii advehent; undique advenient naves, frumento oneratae, quod in iis regionibus, unde vela faciunt, abundat. Pretium tantum attendunt mercatores, qui illuc frumentum advehi curant, ubi magnum pretium se accepturos esse sciunt aut possunt sperare. Incommoda quaedam ex hacce ratione agendi existere posse lubenter concedunt; sed aut rara admodum erunt aut facile removentur (1).

Utile quidem civitati esse potest quod ipsa proferat et conficiat merces, sine quibus cives se sustentare nequeunt; sed si multas ob causas regionis alicujus cives v. c. aliquo cum successu agros colere non possunt, minime tamen illa regio civitati, quae frumentum ei vendit, est subjecta. Longe profecto abest, ut haec illi leges praescribere possit. Gratis nulla natio alteri praebet necessaria. Omne quod importatur ab exteris, solvitur aliis mercibus et verum est principium, quod posuit Say, omnes gentes tantum iis mercibus, quas ipsi protulerunt, alias emere posse (2). Natio quae accipit et illa quae

---

(1) De his incommodis dicit Leuchs: « *Gehören sie*, (nempe illae « merces, quibus cives praecipue indigent) *aber zum nothwendigen Le-* « *bensunterhalt, wie z. B. Getreide, oder zu Vertheidiging, wie* « *Schieszpulver, Waffen, zo können allerdings Nachtheile entstehen,* « *aber wie selten wird der Fall eintreten können, dasz jede Zufuhr* « *gehemmt ist, und wo dis geschehen könnte, wäre es weit zwekmäs-* « *ziger, bei drohender Gefahr Vorräthe davon aufzuhäufen, als sie Jahre* « *lang mit Verlust im Inland zu erzeugen;* » opere laud., pag. 273.

(2) Specimen Oeconomico Politicum Viri Cons. van Rhemen, pag. 11. Say, Tom. II. pag. 239.

vendit frumentum ex emtionibus contractis lucrum et commodum aliquod sperant, quod percipiunt ambae. Ea, quae vendit frumentum, alias merces (saepe eas, quas hujus regionis cives non conficiunt) accipit; quae autem frumentum importatum emit, acquirit panem exportando merces, quas elaboravit aut protulit aut aliunde accepit ipsa.

Ambarum igitur nationum interest, quod commercium illud libere exerceatur, nam par est commodum, quod utraque percipit (1). Harum nationum commercium vectigalibus difficile reddere aut impedire, nihil aliud est, quam et sibi et aliis auferre commoda. Ad auctoritatem suam et libertatem vindicandam, non opus est, ut prohibitionibus utatur populus (2).

§ 4. *De libera mercatura.*

Duas in partes distribuemus quaestionem de libera mercatura. In prima videbimus, quid secundum illorum, qui liberae mercaturae favent, opinionem intelligendum sit nomine *liberae mercaturae:* in secunda vero afferemus quaedam exempla, quae effectus liberae mercaturae possint indicare, secundum illorum sententiam.

(1) Cf. MAC-CULLOCH's, *Grundsätze der Pol. Oecon.* pag. 97 seqq.

(2) Cf. Specimen laud. Viri Cons. P. W. A. GREVELINK, pag. 80 et 81. Cf. etiam ea, quae exhibentur in scriptione, *De l'état actuel du commerce des différentes nations, dans ses rapports avec celui de France,* auctore BATTUR, quae scriptio invenitur in *Journal des Garanties commerciales,* 2 Livr. Paris 1834. pag. 64. Vir. Nob. CHAPTAL, in opere *de l'industrie française; discours préliminaire.* pag. 47.

Libertatem mercaturae latissimo sensu sumtam non vindicant, nam omnino sunt casus, in quibus perniciosum foret civitati liberum plane concedere commercium civibus. Certe v. c. Imperantibus jus concedi debet prohibendi quominus arma belli tempore exportentur ad hostes, nam civitas tunc iis indiget et salus civium ipsorum et defensionis necessitas leges, quae exportationem harum rerum prohibent, exigere videntur. Sed si hujusmodi leges feruntur belli tempore, illae non possunt dici ex principiis Oeconomico-politicis adimere libertatem mercaturae civibus, sed potius considerandae sunt tamquam necessaria ad populi defensionem instituta et pace composita omni auctoritate illae leges priventur (1).

Neque etiam contendunt nulla omnino vectigalia exigenda esse ab iis mercibus, quae importantur aut exportantur. Sumtus, quos exigit civitatis administratio, solvere debent cives et ab antiquissimis inde temporibus, variis nominibus, vectigalia Principes ab iis etiam, qui mercaturam agebant, exegerunt (2). Si eo consilio justa exiguntur vectigalia, mercatores non habent, quod querantur; nam tributa sunt necessaria ad sumtus civitatis ferendos, et eorum partem illi etiam ferre debent. Neque tam gravia tunc ea erunt, ut mercaturae nocere possint. Sed illa contra vectigalia improbanda sunt, quae exiguntur, ut illarum exactione cuidam generi industriae faveatur.

---

(1) Conf. J. Droz., opere laud. pag. 136.

(2) Cf. E. Luzac, *Hollandsch rijkdom*, Tom. I. pag. 298. et Greveling, spec. laud. pag. 118.

Recte Doct. Say: « *Comme impôts, maintenus dans «des bornes convenables, ils ne sont pas plus mau- «vais que d'autres; mais comme moyens de pro- «téger l'industrie, ils ne peuvent protéger une in- «dustrie qu' aux dépens d'une autre et aux dépens «des revenus des consommateurs* » (1).

Neque etiam rejiciunt, ut contraria liberae industriae, illa privilegia, quae vulgo vocantur et *Brévêts d'invention* quae Imperantes concedere solent ei, qui alicujus rei, machinae v. c. est inventor, aut machinam melius adhibere scit quam alii ante eum facere potuerant. Sed hoc urgent, quod per definitum et non longum spatium temporis, v. g. per 10 annos, inventori concedatur illud jus commoda, quae profert sua inventio, exclusis aliis percipiendi. Hisce privilegiis tutus inventor recuperare potest sumtus, saepe graves, quos impendere forte debuit, ut ad ipsam inventionem pervenire posse Jus per aliquot annos exclusis aliis commoda percipiendi e facta inventione est praemium quod merito civitas praebet inventori. Sunt nonnulli, qui statuant, eos sibi non constare, qui prohibitivas leges rejicientes tamen litteras hujusmodi sive privilegia inventionis tuentur (2). Sed minus recte illi de hac re judicare

---

(1) Say, *Cours d'Écon. polit.* Tom. II. pag. 344.

(2) Sic M. J. Fraenzl dicit: *Es ist auffallend, dass man Erfindungs-privilegien klug angewendet, für ein zweckmäszigers Beförderungsmittel der Production erklärt; nun sind sie aber gar nichts anders, als Prohibitivsysteme* en miniature, *und noch dazu gegen inländische Konkurrenz, so wie umgekehrt das Prohibitivsystem auch nichts als ein Erfindungs-privilegium für den ganzen aufle-*

videntur. Primo enim non agitur, cum exportatio aut importatio mercium prohibeatur, de rebus, quae nuperrime sunt inventae, sed de iis, quarum confectio ubivis ferme procedit. Nulla praemia sunt concedenda iis, qui merces conficiunt, quas etiam multi alii conficiunt, et si alii populi pretio minori illas conficiunt, plurimas etiam vendere possunt et lucrum majus, quod hoc modo percipiunt est praemium industriae, quod omnes cives peritissimis opificibus praebent. Secundo loco observandum est, privilegia illa tantum per exiguum spatium temporis concedenda esse et non per octoginta aut centum annos, uti vult scriptor, quam modo citavi. Necesse est, inventores scire se non omni tempore solos commoda ex inventione sua percepturos esse, sed tempore definito praeterlapso, inventionem factam rem fieri omnibus communem. Si per indefinitum tempus inventores hujusmodi privilegiis fruerentur, non omnes adhiberent vires in majorem utilitatem inventioni tribuendam et semper a civibus qualecunque pretium exigere possent. In eo enim consistit grave damnum earum legum, quae vectigalibus quamdam industriae partem defendunt contra aemulationem aliorum, quod opifices, semel ab aliorum aemulatione liberati, non amplius cogantur studiose adhibere industriam in rerum quas conficiunt aut elaborant majorem perfectionem (1). Imminens

benden Gewerbstand ist, nur nach dem Umfange des Gegenstandes, statt von 10 auf 80—100 Jahre. In opere: „*Über Zölle, Handelsfreyheit und Handels-vereine.* Wien 1834. pag. 36.

(1) Cf. Viri Doct. P. VREDE, *Proeve over de Vrijheid des Zeehandels.* Tom. I. pag. 24.

autem aemulatio, definito tempore privilegii exacto, inventionum auctores cogit, pretium diminuere, quae diminutio iis qui rebus inventis indigent semper utilis est. Privilegia, si per exiguum tempus conceduntur, amborum partium, id est, inventoris et consumentium commodis expediunt. Ille per statutum tempus solus omnia commoda, quae inventio affert, percipere potuit; hi vero, tempore illo praeterlapso, commoda illa facilius comparare sibi possunt.

Ex dictis satis apparere putant, quaenam libertas mercaturae optanda videatur; ea nempe, quae cuivis civium permittit, ibi merces suas emendi et vendendi, ubi earum emtio aut venditio, ei maxime expediat. Damnosum enim esse videtur, libertatem mercaturae civium eum in finem coarctare, ut alii cives vendere possint merces, quae ob earum qualitatem aut pretium nimis grave, libera si esset mercatura, nullos invenirent emtores.

Videamus nunc, quasnam sequelas protulisse dicunt leges, quae liberam mercaturam civibus concedebant.

Fuerunt nonnulli, qui contenderent libertatem mercaturae accensendam esse iis argumentis, de quibus sententias suas philosophi et politici egregie quidem proferre possunt, sed quae tamen numquam aliqua in civitate executioni mandari queunt. Historia vero refert exempla nonnulla, quae contrarium probare videntur. Dissentientes animadvertunt quidem, numerum illorum exiguum esse et se contra multas enumerare posse leges, quae libertatem mercaturae prohibent; sed observandum est, Principes non fa-

cile universam rerum ordinem evertere et subito plane contrarium introducere posse systema sine magnis incommodis et ideo in variis regionibus adhuc vigere prohibitorium systema, licet ejus abrogationem quam maxime expetant Reges et Principes (1).

Ad LEOPOLDI, ducis ETRURIAE, exemplum provocant. Illustrissimus ille Princeps libertatem majorem mercaturae subditis concessit et ETRURIA ei multa et magna debuit commoda. DUPATY, in celeberrimis illis de Italia epistolis, placita LEOPOLDI de libera mercatura scripto consignavit. Effectus praeclaros novi ab illo introducti systematis multi praedicant scriptores (2).

Allud exemplum affert SAY (3), indicans effectus liberae mercaturae in opes et divitias urbis *Odessae*, mari Nigro adjacentis. Libera per aliquot annos fuit ibi importatio et exportatio mercium. Emtiones et venditiones permultae et magni momenti ibi tunc

---

(1) Cf. Vir Doct. J. R. MAC-CULLOCH's *Grundsätze der politischen Oekonomie*. Stuttgart 1831. pag. 104. Vir. Amp. VAN HOGENDORP in *Bijdragen*. Tom I. pag. 208. et auctores ibi laudati.

(2) Sic v. g. K. H. PÖLITZ, *Saatswissenschaft*, Tom. II. pag. 206. *In Toscana wo ehemals der Ausfuhr verboten war, trat sonst all drei Jahre Mangel und Theuerung des Getreides ein; dies geschah aber unter* PETER LEOPOLD *binnen* 20 *Jahren nicht, weil er alle Zwanggesetze im Getreide-verkehre aufgehoben hatte. Dabei stieg in dieser Zeit der Ertrag des Bodens von* 10 *mill. Schepfeln, auf mehr als* 13 *mill., und die Bevölkerung erhielt einen Zuwachs von* 113,000 *Menschen*. Conf. P. W. A. GREVELINK. spec. laud. p. 49.

(3) SAY, *Cours d'Économie pol.* Tom. II. pag. 330. Cf. GAMBA, *Voyage dans la Russie méridionale*. Tom. I. pag. 17.

contrahebantur, sed simulac libertas mercaturae restricta fuerit, permultum mercatura illa fuit diminuta.

Vratislaviae omnia collegia opificum sunt sublata. Quanta sint commoda inde orta ostenderunt Viri Docti, ejus urbis incolae (1), nam postquam haec collegia sublata erant, copia mercium aucta, mercatura magis extensa et qualitas mercium magis magisque emendata esse dicitur.

§ 5. *Recedit Anglia ipsa a systemate prohibitorio.*

Saepe homines aliquid considerant tamquam effectum et sequelam alicujus rei, quae revera cum illo nihil commune habet, nisi tempus quo utrumque aderat. Sic rem aliquam celebrant ob salutares effectus, quos sortita est, cum tamen e longis aliis causis, eorum origo repetenda sit. Hujusmodi quid locum obtinere contendunt prohibitorii systematis adversarii, cum scriptores profitentur leges prohibitorias graviaque vectigalia, quae in Anglia exigebantur a mercibus in aliis regionibus confectis et quae ibi importabantur, mercaturae Angliae florem effecisse (2).

Verum quidem est, quod et nemo negabit, Angliam eo tempore magnam egisse mercaturam, quo hujusmodi leges vigebant; inde tamen minime patet

(1) Vid. J. H. Ebers, *Uber Gewerbe und Gewerbsfreyheit.* Bresl. 1825. pag. 8. Cf. Vir. Amp. G. K. van Hogendorp, *advijs over de verhandeling, over de oorzaken van het verval des handels en de middelen tot herstel of uitbreiding van denzelven,* pag. 30. quod judicium curâ Viri Clar. H. W. Tydeman editum est. Harl. 1828.

(2) Cf. Vir Doct. Thaër, in opere *Rationelle Landwirthschaft.* Tom. I. pag. 7.

prosperitatem Angliae iisdem legibus originem suam debere. Multi fuerunt scriptores, qui ad hujus civitatis exemplum provocarent, ut clare indicarent effectus salutares prohibitoriarum legum, sed ostenderunt tantum se veram causam floris mercaturae in Anglia una cum genuinis praeceptis oeconomiae politicae ignorasse.

Ante omnia inquirendum est, an leges prohibitoriae revera causae fuerint florentis externae mercaturae, qua Angli omnibus aliis populis praecelluerunt.

Inter leges ad industriam Angliae tuendam latas primarium occupat locum lex illa famosa navigationis, cujus auctor fuit Parleamentum anno 1651 (1). Potestas reipublicae Batavae in dies crescens, et mercatura valde extensa, quam illo tempore agebant nostrates, praecipuae fuisse videntur causae, quae hujus legis promulgationi ansam praebuerunt (2). Metuebat Parleamentum forsitan ne indefessa Batavorum industria exitialis fieret Anglis. Serio igitur cogitandum iis visum est de mediis, quae industriam nostratium coarctarent et nimis auctam potestatem reipublicae frangerent et simul industriam Angliae promoverent. Ut proposita illa omnia assequeretur, legem promulgavit Parleamentum, qua interdicebatur

(1) Cf. Vir Cons. GREVELINK, in spec. laud. pag. 88. Nota 2a, qui originem hujus edicti repetit a decreto Parleamenti Angliae sub HENRICO VII edito, quo vetabatur, ne mercatores merces quasdam ab uno Anglico portu in alium transportarent navibus peregrinis, nisi nullae adessent naves anglicae.

(2) Cf. LUZAC, *Hollandsch Rijkdom*, Tom. II, pag. 122.

exteris navibus in portus Angliae alias merces importare, quam illas, quas ipsa profereret regio, unde naves veniebant. Eadem lege praeterea vetabatur ne Anglicae merces aliis exportarentur navibus, quam iis, quae in Anglia ipsa exstructae erant. Insuper requirebatur, quod nautarum duae tertiae partes civibus Anglicis constarent.

Procul dubio magnum detrimentum ceperunt mercatores Batavi, cum subito hoc modo commercium nostrates inter et Anglos graviter impediretur. Mercatores illi, nam ipsa respublica Batava perpaucas tantum producebat merces quae exportari poterant, occasionem amittebant in Angliam transvehendi merces, quae e coloniis mittebantur, et vani semper fuerunt conatus, quos Ordines Generales ad damnum sic illatum repellendum adhibuerunt (1). Angliae Parleamentum certe promulgando legem illam obtinuit, quatenus nostratibus damnum inferre studebat, quod sibi proposuerat, sed illud damnum parum Anglis profuit, qui ipsi profecto partem incommodi, quod nostratibus inferebat Parleamentum, senserunt; nam veritati est contraria illorum sententia, qui putant e damno unius civitatis commodum existere alterius (2); contrarium docent, cum experientia, tum oeconomiae pol. placita (3).

Divina Providentia, variis regionibus varias faculta-

---

(1) Cf. E. Luzac. op. cit. l. l.

(2) Montaigne inter alios hanc tuitus est sententiam in *Essais* Liv. I, chap. 21.

(3) Cf. Vir Cons. Grevelink, spec. laud. pag. 88. Mac-Culloch op. laud. pag. 97. E. Waller, diss. laud. pag. 133 seqq.

tes et terrae aut industriae proventus tribuens, arctam necessitudinem inter omnes hujus orbis terrarum incolas constituere voluisse videtur. Si igitur aliqua in parte progressus facit gens quaedam, non ideo existimandi sunt illi progressus aliis exitiales esse futuri. Salutares effectus prosperitatis, quam attingere licuit uni populo, reliqui etiam verosimiliter pro aliqua parte sentient. Imo damnum, quod ab uno populo alii infertur in eum ipsum etiam certa pro parte redundabit. Leges igitur, quae vinculum, quo hae gentes cum illis junguntur, rumpunt aut relaxant, quae tendunt ad diruendam felicitatem alterius civitatis, leges illae damnosae etiam aliquatenus erunt ipsi civitati, quae illas promulgavit. Et rem ita sese revera habuisse, historia legum systematis prohibitorii docet, quae in Anglia latae sunt (1).

Mercaturam Batavorum magna pro parte evertisse Parleamentum jam vidimus. Restat igitur ut videamus, an hujus legis ope industriae subditorum suorum revera et optimo modo faverit.

Acute sane Parleamentum ita excogitavit remedium grave damnum reipublicae Batavae inferendi, sine violatione legum, quarum observantiam jus gentium Imperantibus praescribit, nam quamquam illa lex specie omnium populorum respiceret mercatu-

(1) Egregie dicit MURHARD, op. laud. Tom. II. pag. 235. *Ein gemeinschaftliches Band knüpft die Interessen aller Verkehr-treibender Völker mit einander, und was die Betriebsamkeit des einen Volks niederhält, bleibt nicht ohne Rückwirkung auf die Betriebsamkeit aller übrigen.*

mentum, ob supra memoratas causas, Anglorum industriam parum promovisse (1).

Et profecto hanc sententiam confirmant ea, quae scriptores ipsi Angli de legibus prohibitoriis et gravibus vectigalibus eorumque sequelis proferunt.

Adam Smith, cui oeconomiae politicae disciplina plurimum debet, ex industria investigavit quomodo civium commoda per libertatem mercaturae promoveantur et sane eandem sententiam professus est, quam jam ante eum tuiti erant egregii Viri Dudley North, Mathias Decker et David Hume (2), qui noxios effectus systematis prohibitorii indicaverunt et petiverunt, ut major concederetur mercaturae libertas. Sed vani fuerunt illorum conatus. Opifices aliique quorum in gratiam illae leges latae erant, magno cum strepitu contra libertatem mercaturae clamaverunt et Principes, metuentes forsitan audaciam eorum, qui magno numero in multis opificiis victum quotidianum quaerebant, illas abrogare ausi non sunt. Attamen procedente tempore, quum magis principia oeconomiae politicae divulgarentur, sensim sensimque persuasum sibi habere coeperunt Angli de necessitate a systemate prohibitorio recedendi. Fortiter illud systema aggressus est imprimis Vir Nobil. Huskisson, qui ante paucos annos Ministri muneribus functus est. Ille, qui propter munus quod gerebat, veram conditionem mercaturae et industriae Anglorum rite perspicere poterat, palam profiteri ausus est leges

(1) Cf. Murhard, op. laud. Tom. II. pag. 259.

(2) Cf. Mac-Culloch, op. laud. pag. 107.

prohibitorias civitati esse perniciosas et contendit libertatem mercaturae et industriae, justis circumscriptam limitibus, Angliae plus profuturam, quam magnum illum numerum legum, quae dum commoda quaedam nonnullis procurent, in aliorum omnium detrimentum sponte vertant. In oratione habita in coetu inferiore animadvertit mercaturam magnos fecisse progressus, postquam civibus major concessa fuerat libertas et provocavit ad suffragia mercatorum in Anglia habitantium, qui libertatem mercaturae ipsi peterent (1). Plane cum illo facit Vir Nobil. LIVERPOOL, qui in oratione, quam habuit in coetu superiore negavit salutem et prosperitatem mercaturae in Anglia systemati prohibitorio esse tribuendam (2).

Haec cum ita sint, nonne absurdum foret statuere, florem mercaturae Angliae legibus prohibitoriis adscribendum esse? Aliae erant causae, quae aliquando invitis etiam legibus prohibitoriis illam prosperitatem afferrent. Eas causas recensent SAY, op. laud. Tom. V. pag. 137, et LEUCHS, op. laud. pag. 284 et 308.

Anglia hodie caute et prudenter majorem libertatem mercaturae concedere incepit, nam non solum non augent nunc numerum legum, quae illam libertatem coarctant, sed contra eorum placitorum, quae adhuc ibi vigent, in dies diminuitur vis ac auc-

(1) Cf. *Journal de Bruxelles*, mensis Martii 1826. Diarium *le Globe* Anni 1827. n° 65. *Nederlandsche Hermes*, 1827. n° 2. pag. 69. *Révue Encyclopédique*. Paris, Jan. 1820. pag. 31.

(2) Vir Amp. VAN HOGENDORP, *Bijdragen*. etc. Tom. V. pars. I. pag. 140.

ram, tamen praesertim nostratium in odium illa promulgata erat. Sed non unice tamen nostratibus Angli nocere cupiebant. Tendebant ad rei navalis in Europa principatum et Imperium Oceani sibi vindicare meditabantur, in rebus maritimis fortiter constitutis Brittaniae in res Europaeas auctoritatis fontem juste meritoque agnoscentes. Ideo navigationi maritimae favit Parleamentum. Aucto in dies navium mercatoriarum numero, agmina quasi exsurgebant peritissimorum nautarum, qui aliquando Imperium maris Brittannis essent vindicaturi. Sic optimum excogitatum haud dubio remedium ad res maritimas Angliae promovendas. Sed an industriae anglicae aeque profuerit, dubitari potest. Naves, quae advehebant in Angliam merces, quas regio unde vela faciebant proferebat, exoneratae cum essent, sine mercibus redire debebant, nam Anglicis tantum navibus licitum erat Anglicas exportare merces. Sumtibus igitur, quos exigebat reditus navis omni onere destitutae, augebatur pretium mercium, quas exterae gentes advexerant et majus itaque solvere tenebantur Angli pretium, quam alioquin necesse erat. Verum quidem est, hoc damnum non sentiri si anglicis navibus suas merces devehendas commisissent exteri, nam illae poterant citro retroque merces vehere, sed facile intelligitur ad merces suas Anglis committendis non pronos valde fuisse exteros. Omne illud quod hoc modo plus solvebatur, quam ceterum solvi debuisset, in gratiam rei maritimae evehendi Angli impendebant. Quod si exteri ea, quae aliunde acceperant, ab Anglis advehi nollent, cogebantur illi

aut ipsi eas proferre merces aut iis plane indigere. Saepe ipsi ad merces conficiendas longe majores impendere debebant sumtus, quam qui in aliis regionibus requirebantur, quod efficiebat, ut earum pretium longe majus esset, quam illud, quod exteris antea solvendum erat. Verum quidem est Batavos aliosque, qui olim rerum exterarum cum Anglis agebant commercium commoda magna percepisse, sed non obliviscendum est Anglis quoque id commercium damnosum non fuisse (1). Libera voluntate emtiones et venditiones contrahebantur et profecto contractae non fuissent, si damnum aliquod se inde passuros esse putavissent Angli. Industriae itaque illa lex non favit, merces exterae multae cum arcerentur. Multa et nova opificia illi debuerunt originem, sed, uti jam vidimus, illorum proventus majori summa pecuniae solvendi erant a consumentibus, quam pro qua antea exteri easdem iis offerrebant. Opifices commoda magna percepisse probabile est, sed illorum lucrum constituebat detrimentum quod consumentes sentiebant. Opifices aliique exteris non amplius tam facile vendere poterant mercas suas, quibus antea solvebant quas exteri importare solebant et tantum mercium iis licebat conficere aut elaborare, quantum indigenis necessarium erat. Effecit certe hujus legis promulgatio, quod crescerent res navales Angliae, sed simul patere videtur, Parlea-

(1) Cf. Vir Doct. Sismondi, *Nouv. Princ.* I. 134. *Jamais les échanges n'étaient conclus sans avantage des deux parts. Le vendeur trouvait du bénéfice à vendre et l'acheteur à acheter.*

mentum, ob supra memoratas causas, Anglorum industriam parum promovisse (1).

Et profecto hanc sententiam confirmant ea, quae scriptores ipsi Angli de legibus prohibitoriis et gravibus vectigalibus eorumque sequelis proferunt.

Adam Smith, cui oeconomiae politicae disciplina plurimum debet, ex industria investigavit quomodo civium commoda per libertatem mercaturae promoveantur et sane eandem sententiam professus est, quam jam ante eum tuiti erant egregii Viri Dudley North, Mathias Decker et David Hume (2), qui noxios effectus systematis prohibitorii indicaverunt et petiverunt, ut major concederetur mercaturae libertas. Sed vani fuerunt illorum conatus. Opifices aliique quorum in gratiam illae leges latae erant, magno cum strepitu contra libertatem mercaturae clamaverunt et Principes, metuentes forsitan audaciam eorum, qui magno numero in multis opificiis victum quotidianum quaerebant, illas abrogare ausi non sunt. Attamen procedente tempore, quum magis principia oeconomiae politicae divulgarentur, sensim sensimque persuasum sibi habere coeperunt Angli de necessitate a systemate prohibitorio recedendi. Fortiter illud systema aggressus est imprimis Vir Nobil. Huskisson, qui ante paucos annos Ministri muneribus functus est. Ille, qui propter munus quod gerebat, veram conditionem mercaturae et industriae Anglorum rite perspicere poterat, palam profiteri ausus est leges

---

(1) Cf. Murhard, op. laud. Tom. II. pag. 259.

(2) Cf. Mac-Culloch, op. laud. pag. 107.

prohibitorias civitati esse perniciosas et contendit libertatem mercaturae et industriae, justis circumscriptam limitibus, Angliae plus profuturam, quam magnum illum numerum legum, quae dum commoda quaedam nonnullis procurent, in aliorum omnium detrimentum sponte vertant. In oratione habita in coetu inferiore animadvertit mercaturam magnos fecisse progressus, postquam civibus major concessa fuerat libertas et provocavit ad suffragia mercatorum in Anglia habitantium, qui libertatem mercaturae ipsi peterent (1). Plane cum illo facit Vir Nobil. LIVERPOOL, qui in oratione, quam habuit in coetu superiore negavit salutem et prosperitatem mercaturae in Anglia systemati prohibitorio esse tribuendam (2).

Haec cum ita sint, nonne absurdum foret statuere, florem mercaturae Angliae legibus prohibitoriis adscribendum esse? Aliae erant causae, quae aliquando invitis etiam legibus prohibitoriis illam prosperitatem afferrent. Eas causas recensent SAY, op. laud. Tom. V. pag. 137, et LEUCHS, op. laud. pag. 284 et 308.

Anglia hodie caute et prudenter majorem libertatem mercaturae concedere incepit, nam non solum non augent nunc numerum legum, quae illam libertatem coarctant, sed contra eorum placitorum, quae adhuc ibi vigent, in dies diminuitur vis ac auc—

---

(1) Cf. *Journal de Bruxelles,* mensis Martii 1826. Diarium *le Globe* Anni 1827. n° 65. *Nederlandsche Hermes*, 1827. n° 6. pag. 69. *Révue Encyclopédique*. Paris, Jan. 1829. pag. 31.

(2) Vir Amp. VAN HOGENDORP, *Bijdragen*. etc. Tom. V. pars. I. pag. 140.

toritas (1). Et profecto hoc non fieret, nisi sibi persuasum haberent systema prohibitorium et gravia vectigalia revera magna damna attulisse et ex libertate meliora omnia spectanda esse (2).

§ 5. *De servanda pecunia liberae mercaturae fautorum sententia.*

Fuerunt multi qui putarent illam civitatem magnas sibi comparare posse divitias, cujus cives eo pervenire potuerunt, ut merces, quas patriae solum profert, exportent et earum in locum aurum argentumve ab exteris accipiant. Haec metalla sola vere divitias constituere contendebant et sibi certum habebant, nullam gentem divitiis antecellere posse aliis, apud quam exigua tantum copia horum metallorum inveniretur. Omnem itaque auri argentique exportationem prohibendam esse statuebant. Ratiocinati autem sunt hoc modo: si homo privatus omnem, quam possidet pecuniam permutat in merces, quae ei necessariae non sunt, statim pauper fit, cum contra harum mercium venditores locupletes fiant. Hancce opinionem ad civitates porrexerunt et professi sunt civitatem aurum argentumque exportantem etiam cito

---

(1) Cf. Say, op. laud. Tom. II. pag. 351. et imprimis specimen Viri Cons. P. Blussé, pag. 54 et 64. Cf. Vir Amp. van Hogendorp, *Bijdragen* etc. Tom. I. pag. 74. Tom. IV. pars I. pag. 86.

(2) Cf. Vir Doct. Battur, in scriptione, *de l'état actuel du commerce des différentes nations, dans ses rapports avec celui de France,* quam legimus in *Journal des Garanties commerciales,* II. Liv. Paris 1834. Cf. ea, quae exhibet Vir Clar. G. Wttewaal, in *tijdschrift voor de Nijverheid.* Tom. II. parte IV. titulo, *verbod van invoer van granen niet voordeelig voor de landbouwende klasse.*

pauperem fieri. Sed minus recte illi rem intellexerunt (1). Homo ille privatus minime pauper fit emendo merces pro pecunia, imo si merces majorem habent valorem quam pecunia, ditior factus est emendo. Juvenes prodigi, si magna pecunia sibi emunt merces, quarum utilitas est exigua, aut quotidie magnis sumtibus epulantur, revera patrimonium acquisitum dissipant et in paupertatem se redigunt, sed inde minime patet illam civitatem, cujus cives merces important et pecuniam numeratam erogant in harum mercium solutionem, ideo pauperem fieri. Magnum enim inter prodigum et mercatorem, qui pecuniam, quam possidet, exportat, intercedit discrimen. Ille multas res emit magna pecunia, quarum valor est exiguus et quae nullam ei afferunt utilitatem. Hic vero alias sibi mitti curat merces in locum pecuniae suae, quae si veneunt, majorem saepe exhibent sortem, quam ea, quam in earum emtionem adhibuit. Divitiae mercatoris pecuniae exportatione sunt auctae, juvenes autem, nugas emtas si vendunt, paucos tantum accipient nummos, quamquam magna vi pecuniae ad eas emendas opus iis fuerat. Horum igitur divitiae diminutae sunt. Si vera indagatur causa diversarum harum sequelarum, patebit illam minime sitam esse in pecuniae numeratae erogatione. Ambo enim pecuniam aliis tradiderunt et si illa traditio semper damnum constitueret, mercator in casu proposito illud sensisset etiam, at contra hujus conditionem meliorem fac-

(1) Cf. Vir Doct. J. Droz., op. l. Lib. II. Cap. IV. pag. 212 seqq.

tam esse vidimus. Sed mercator utiliter aurum argentumque, quod possidebat, adhibuit, nempe in emtionem rerum quarum valor major erat, quam pecuniae. Juvenes autem pecunia abusi sunt, nam res, quas pecuniae loco acceperunt, nullum ferme habebant valorem et illorum igitur divitiae diminutae sunt. In diverso itaque usu pecuniae quaerenda est causa lucri mercatoris et damni juvenum prodigorum. Ex allato exemplo quoque patet civitatem nullum sentire incommodum, cum pecuniam exportent mercatores, qui alias accipiunt merces, quae pecuniae vice funguntur et quarum valor pecuniae numeratae valori respondet. Non auri argentique erogatio paupertatis alicujus civitatis causa existere potest, sed mala negotiorum administratio. Mercator ille, si pecuniae loco exportasset merces in Galliam, ubi illae parvi aestimantur, cum pro iisdem Angli v. c. pretium multo majus lubenter solverent, damnum passus fuisset tantum, quantum harum mercium pretium differt apud Anglos et Gallos. Contra mercium patriarum exportationem liberae mercaturae adversarii suffragia non ferunt, imo ei favent, et tamen patet illam exportationem damnosam esse aliquando posse, si mercatores merces minori, quam par est, pretio vendunt. Cur igitur indistincte mercium venditionem probant, earum emtionem improbant?

Vanus insuper est metus eorum, qui putant emtiones et venditiones ibi nimis difficiles reddi, ubi non satis magna copia pecuniae numeratae adest. Primo loco observandum est raro tempus exstiturum esse quo pecuniae in civitate vere habeatur defectus.

Unusquisque enim homo locuples sibi tantum servare solet nummorum copiam, quanta indiget ad sumtus quotidianos solvendos. Secundo loco animadvertendum est incommoda non magna pati civitatem, in qua auri argentique copia valde diminuta est. Peregrini enim simulac certiores facti sint hac illave in regione pecuniae exiguam esse copiam et metallorum pretiosorum pretium idcirco ratione aliarum mercium auctum esse, statim pecuniam afferent, cum sibi tunc pecunia sua plures aut meliores quam antea comparare possint merces. Et hisce importationibus cito res in pristinum statum restituentur (1).

In § 6 partis praecedentis vidimus de sententia eorum, qui probare conati sunt pecuniae exportationem civitati perniciosam esse. Indicare voluerunt damnum quod illa v. c. sentit civitas, quae ad frumentum ab exteris emendum confugere est coacta, et demonstrare conantur hac emtione divitias civitatis imminui. Sed minus recte illi rem intelligunt. Pecuniam numeratam, qua frumentum solutum est, civitas quidem non amplius possidet, sed in ejus locum aliam obtinuere cives mercem ejusdem valoris ac pretii. Damnum igitur nullum passa est civitas; frumentum enim importatum cedit in locum

(1) Recte monuit Murhard, op. l. Tom. II. pag. 38. *Ueberhaupt sollte man nie vergessen, dasz Gold und Silber eine Waare sind; es werden diese Metallen nie ausgeführt als in den Fällen, wo die Ausfuhr Vortheil bringt, d. h. wenn sie weniger im eigenen und mehr in fremden Länder gelten, als irgend eine andere Waare. Der Kaufmann, der mit edelen Metallen handelt, wird eben so gut von eigenen Vortheile regirt als der Kaufmann, der mit Kaffee und Indigo Verkehr treibt.*

pecuniae. Nihil amittimus quando rem aliquam tradimus illi, qui nobis aliud dat negotium, cujus valor similis est valori rei, quam a nobis accepit. Ratione formae illae res diversae esse possunt, sed quoad valorem eaedem sunt. Sed (sic enim pergunt) frumentum consumitur et post aliquod tempus non amplius aderit, cum contra pecunia, natura sua consumtioni non obnoxia, semper maneat. Licet hoc verum sit, tamen minime patet civitatem quae frumentum emit aliquod pati damnum (1). Illi, qui frumentum consumserunt operas suas adhibere potuerunt in rerum confectionem aut elaborationem, quarum valor frumenti consumti pretium in se continet. Valor rerum, quae consumuntur minime semper deperditus est. Lanae v. g. quas opifex emit, qui pannorum textilium confectioni operam navat, brevi non amplius aderunt, sed tamen non censendus est ille sortem, quam in lanarum emtionem adhibuit sic amisisse (2). Valor pannorum textilium, qui sunt confecti, lanarum etiam valorem in se continent et repraesentant. Idem accidit in casu nostro. Pecuniam a nobis solutam alii nunc quidem possident, sed cives aliam obtinuerunt sortem, quae pecuniae exportatae aut frumenti importati valorem continet. Civitatis igitur divitiae pecuniae exportatione non diminuuntur, si alias res ejus in locum obtinent cives, quarum valor valori pecuniae respondet (3).

---

(1) Cf. V. Cl. J. B. Say, op. l. Tom. II, pag. 309.

(2) Cf. Vir. Clar. K. H. Rau, *Lehrbuch der Pol. Oeconomie.* Tom. I. § 128.

(3) Cf. Vir Doct. Leuchs op. l. pag. 300 seqq. Murhard, l. l. et

§ 7. *Prohibita importatione exterarum mercium, impeditur indigenarum exportatio.*

Omnes fautores systematis prohibitorii aut gravium vectigalium quibus mercium importatio prematur contendunt exportationem mercium, quae in patria sunt confectae, civitati valde utilem esse. Putant in patriarum mercium exportatione salutis et prosperitatis fontem positum esse; docent omni modo eo tendere debere cives, ut illae exportationes in dies plures et faciliores reddantur. Hanc ob causam statuunt naturalium soli proventuum exportationem prohibendam esse et elaboratas tantum merces exportari sinunt. Emtiones rerum peregrinarum, ut noxias civitati, rejiciunt; venditionibus autem patriarum favent. Ut damnum, quod secundum illorum opinionem semper oritur, cum cives ab aliis populis res emant, evitaretur, commendaverunt et magni fecerunt leges, quae harum importationem prohibent aut saltem difficilem reddunt. Sed fautores liberae mercaturae putant, easdem leges, quas ut salutares praedicant alii, revera damnosas esse civium industriae et proposito, quo introducuntur, minime respondere. Non viderunt, necessarium esse, ut ille qui res suas vendere cupiat ab aliis quoque quid emat (1). Remedium (nempe prohibita importatio), quod ad-

---

Vir Doct. J. C. L. Sismonde de Sismondi, *Nouv. Principes*. Paris 1827. Tom. II. pag. 66, qui putat pecuniae numeratae exportationem prohibitam litterarum cambialium usum provocasse. Rau, op. l. § 257 et mult. seqq.

(1) Cf. Droz. op. laud. pag. 178.

hibuerunt ut patriae industriae prospicerent, plane contrarium quid efficit et causa est multarum calamitatum.

Audiamus jam argumenta quibus probare conantur scriptores leges, quae importationem peregrinarum mercium prohibent, simul exportationem rerum patriarum impedire.

Jam supra observatum est non omnes regiones eosdem plane proferre fructus, sed sapientiam Summi Numinis nonnullis regionibus certas res abunde concessisse, quibus aliae indigent. Commercii autem ope incolae uniuscujusque regionis omnes fructus totius orbis terrarum comparare sibi possunt. Sed illi, qui importationem exterarum mercium prohibent vel impediunt ipsi sibi demunt voluptatem rebus utendi fruendique, quae vitam jucundiorem reddunt. Propria voluntate se obligant ad eas tantum res in usum adhibendas, quae in patria ipsa inveniuntur. Sic solum patrium cogi coepit ad proferendas res ad quas colendas id minus est aptum; sic merces conficere debuerunt opifices in industriae generibus ad quae tractanda ipsi natura minus erant instructi. Sic invita natura caro pretio res conficiuntur, quae pro dimidia parte pretii meliores apud alios populos acquiri potuissent. Et si causam quaeras hujus perversae rationis agendi, responsio erit eam sitam esse in vulgari opinione, commoda unius gentis semper alterius esse opposita; quum uniuscujusque populi commodum esse censeatur semper vendere, numquam emere. Ideo male censentur eo tendere debere civitatum gubernatores ut res omnes, quae civibus

sunt necessariae, ab ipsis conficiantur. Quod ipsi recte conficimus, vendamus aliis; quod alii melius peragunt quam nos, id emamus ab illis.

Postquam Vir Clar. Say principium posuit populum nihil aliud consumere, cum merces ab aliis advectas consumat, quam ea quae ipse jam protulit, longe aliud de legibus prohibitoriis ferendum est judicium, quam vulgo antea ferebatur. Illae tam saepe celebratae leges, commoda nonnulla paucis tribuentes, damnosae sunt ceteris et raro proposito, quo introducuntur, respondent. Quid enim ope legum prohibitoriarum aut gravium vectigalium in importationem exterarum mercium scriptorum legislatores obtinere voluerunt? Exportationem mercium, quae in patria erant confectae. Sed pessimum illi adhibuerunt remedium, quod exemplo illustrare conabimur.

Fingamus nobis casum, quo Angli quotannis in patriam nostram advehunt carbones fossiles, quos nostrates solvunt valore centum millium florenorum, quo pretio Angli a nobis emunt butyrum, caseos, etc. Ponamus porro nonnullos cives Regem nostrum adire et ab illo petere, quod haec prohibeatur importatio, ut minae, quae forte in patria alicubi detectae fuerint, aliquo cum lucro effodiantur. Si jam lex feratur, quae illam prohibet importationem, probabile est omnino nostrates, qui hujusmodi minas possident, aliquod percepturos esse commodum, sed Angli, quibus carbones fossiles amplius vendere non licet, etiam merces nostras non amplius empturi sunt; nam carbones fossiles nos, proprie non pecunia numerata, sed aliis mercibus veluti caseis, butyro

aliisve emebamus. Rustici ergo illas non amplius Anglis poterunt vendere et gravia sentient damna. Hoc modo patria prohibendo importationem amittit mercium exportationem, quae antea locum habebat. Apparet igitur hanc legem patriarum mercium exportationem coarctare et tamen adversarii ei favere voluerunt legem condendo. Nocetur igitur patriarum mercium exportationi, cum peregrinarum impeditur importatio (1).

Neque hoc est unicum damnum. Lucrum non tantum, quod agricolae merces suas exportando percipere solebant, amittitur, sed aliud etiam incommodum memorandum restat. Carbonum fossilium importationem prohibitam ideo petiverunt, quia illorum, qui apud nos effodiuntur, pretium majus est quam quod Angli exigunt.

Cives nostri itaque nunc coguntur insuper ad solvendum majus pretium quam quod Anglis solvere solebant, et id quod plus sic solvitur, amittunt, quo omnium consumentium hac ratione diminuuntur reditus (2).

Sed, dicunt adversarii, libera si semper conceditur exteris importatio, nova numquam exstabunt opificia, quae tamen multum valent ad civium industriam augendam et in quibus multi sibi victum honestum quaerunt.

Lubenter fautores liberae mercaturae agnoscunt vim magnam, quam habere possunt opificia in pros-

---

(1) Cf. Vir Cons. Gревelink, spec. l. pag. 47. seqq.

(2) Cf. Vir Ampl. G. K. van Hogendorp, *Lettres sur la prospérité publique.* Epist. VII. pag. 25 seqq. et Epist. IX et *in Bijdragen.* Tom. I. pag. 106 seqq.

peritatem civitatis ejusque salutem, sed, ut mercenariorum opificumque commoda augeantur, iniquum est omnes ceteros premi (1). Si cum peregrinis aemulari et civibus merces pretio minore aut eodem offerre possunt atque exteri, tunc illi profecto magna commoda civitati afferent, sed opificia illa, quae non nisi gravium vectigalium ope existere possunt, damnosa videntur (2). Negari non potest nonnulla opificia originem suam debere illis vectigalibus, sed nonne illae etiam si libera mansisset importatio exstitissent? Gravia vectigalia non requiruntur, ut opificia construantur, nam lucri cupiditas omnes statim incitat ad hoc illudve genus industriae exercendum, si illud lucrum praebere poterit (3).

Observare etiam hujus loci est, opificia illa, quae sub tuentium, quae dicuntur, legum tutela nas-

(1) Una causa, in qua legum favor merito novis opificiis conceditur, memoratur a Vir Clar. RAVIO op. l. Tom. II. pag. 218. Neue Richtigungen des Kunstfleiszes in den Gewerben sind mit eigenthümlichen Schwerigkeiten verknüpft, erfordern öfters grosze Beharrlichkeit und ansehnliche Auslagen, verursachen Verlusten und werden der halben oft nicht versucht, wenn die Unternehmungen nicht für einige Zeit gegen das Mitwerben anderer Länder, in denen gene Hindernisse schon länger besiegt worden sind, in Schusz genommen werden. Ein in dieser Absicht angeordneter Einfuhrzoll ist mit einem Erfindungspatente zu vergleichen, er erhöht auf einiger Zeit die Ausgabe der Zehrer, um ihnen dann die wohlfeile und bequeme Befriedigung ihrer Bedürfnisse zu sichern. Die blosze Enstehung neuer Fabrieken ist jedoch keinesweges hinreichend eines solchen Zolles darzuthun etc.

(2) Cf. Vir Doct. J. VAN OUWERKERK DE VRIES, *Handel en Nijverheid*, Amstel. 1834. pag. 64 et seqq. VAN HOGENDORP, op. laud. Tom. I. pag. 112.

(3) Cf. SAY, op. l. Tom. II. pag. 356. seqq. et Vir Cl. RAU, op l. pag. 219.

cuntur, merces suas indigenis tantum offerre et vendere posse, nam putare eas unquam exportari posse est absurdum. Alii enim adsunt populi, qui easdem merces pretio minore offerunt et ubi illis licet illas vendere, ibi eas nos non vendemus, quia sunt cariores. Intra limites itaque patriae omnes illae retinentur merces, quod efficit, ut perpauca saepe opificia ejusmodi omnium civium necessitatibus satisfacere facile queant (1).

§ 8. *Nullum amplius restat incitamentum, remota aemulatione populorum.*

Saepe observatum est, in extrema necessitate homines aliquid committere, quod unquam se effecturos esse antea desperaverant. Vires physicae augeri videntur, ingenium humanum acuitur et optima sic ibi inveniuntur remedia et adhibentur, ubi antea nulla adesse unusquisque putabat. Historia, res gestas narrans virorum fortissimorum, exempla non pauca profert, quae ostendunt vim magnam, quam extrema necessitas in animos mortalium exercet. Belli duces, summas in angustias redacti, saepe victoriam reportaverunt et hostes fugaverunt, quorum vires longe alterius partis vires superabant. Audacia et fortitudo

(1) Cf. Leuchs op. laud. pag. 264 et seqq., qui plura affert exempla ad confirmandam hanc sententiam; et K. Murhard *in opere* Politik des Handels. Gottingen 1831. pag. 179. Contendit Vir Amp. van Hogendorp in *Bijdragen* etc. Tom. I. pag. 65 gravia vectigalia non sufficere, ut aliquod praebeatur auxilium opificibus. Vid. ea quae hac de re ad Regem Hollandiae Ludovicum scripserunt Viri Doct. J. H. Moltzeus et P. van der Heim. Leguntur in *Bijlagen* ad opus laud. Tom. I. pag. 287. et Tom. II. pag. 157 seqq.

militum tunc crescere imprimis videtur, quando omnis ferme spes salutis iis ademta est.

Simile etiam quid accidere videmus, cum inter eos ineatur certamen, qui idem genus industriae exercent. Unusquisque in hujusmodi certamine omnes suas adhibet vires et victoriae palmam aliis eripere studet. Gloriae amore et proprii commodi studio incitatus omnibus praecellere ardet et res, quas in illo ardore conficit artifex, meliores aliquando sunt iis, quas umquam confecit et sic patet saepe, illum facultatibus gaudere eximiis, quarum ipse antea conscius non erat (1).

Neque mirum. Nam certe omnes colliget vires bonus paterfamilias, cum videat tempus instare, quo, nisi omnes vires intendat, sibi familiaeque suae amplius industria sua prospicere non poterit. Et ejusmodi periculum revera ei imminet, cum peregrinis concedatur facultas merces suas in patriam importandi, quarum pretium minus est eo, quod exigunt opifices indigenae. Pro certo enim habendum est, cives illas merces emturos esse, quas meliores censent aliis et quas insuper minoribus sumtibus acquirere possunt. Simulac peregrinis permittitur merces huc mittere, nullis solutis vectigalibus, patriae merces nisi meliores sint et vilioris pretii nullos amplius invenient emtores et paupertas opificum una cum interitu multorum opificiorum non longe abest. Consumentes non inquirunt an merces, quas emunt, in patria a civibus sint confectae an ab aliis elaboratae et

(1) Cf. Murhard, op l. pag. 175.

aliunde advectae, sed illam qualitatem et pretium solum attendentes, optimas et quae exiguis pretiis veneunt sibi eligunt. Aemulatio omnium populorum inter se efficit, ut civium commoda promoveantur et consumentes parvo pretio meliores aut plures, quam antea sibi comparare possint merces. Et hoc est quod maxime optandum (1).

Adversarii animadvertunt e libera concessa exteris importatione earum rerum, quae in patria etiam conficiuntur multa oriunda esse incommoda et ostendere conantur perniciosum fore civitati, si omnia opificia demolirentur, in quibus merces elaborantur, quarum pretium majus est eo, quod exteris solvendum est. Hanc sententiam non omni idoneo carere fundamento fautores liberae mercaturae agnoscunt. Magna profecto exstarent incommoda cum derepente concederetur illa libertas importandi, quae antea negata semper fuerat. Ante omnia accurate inquirendum est, an omnis plane deficiat spes, fore ut opifices nostri umquam cum peregtinis aemulari possint et si hoc jam revera ita se habet, ne tunc tamen statim peregrinis concedenda est libera importatio. Gravis enim mutationes, si subito obveniunt semper incommodis multis ansam praebent. Caute procedendum

---

(1) Cf. Vir Doct. MURHARD, op. l. pag. 259. Animadvertit SAY, Op. l. Tom. II. pag. 342. «*Nos revenus, a quelque somme qu'ils* «*se montent, sont dans une lutte perpétuelle contre tous nos be-*«*soins. Ils sont deminués par chaque sou que l'on nous fait payer* «*de plus, et que nous pourrions payer de moins.*» Cf. Viri Cons. P. BLUSSÉ, spec. laud. pag. 79. Vir Ampl. VAN HOGENDORP op laud. Tom. I. pag. 114. et Tom. IV. partis I. pag. 20.

est. Sensim sensimque vectigalia in importationem peregrinarum rerum scripta, diminuantur, ut sic sensim ad plenam libertatem accedatur (1). Opifices si derepente peregrinis libera concederetur importatio, in summas redigerentur angustias. Non solum amitterent illi magnam partem sortium, quas in aedium necessariam aedificationem aut ad comparandas, saepe sumtuosas, machinas adhibere debuerunt olim, sed etiam non statim sibi eligere possent aliud genus industriae, in quo operas suas et sortes collocent. Detrimentum magnum illos hoc modo passuros esse unusquisque agnoscit. Sed libertatis mercatoriae fautores non urgent, ut statim omnes prohibitivae leges tollentur. Volunt et suadent tantum ut earum in posterum numerus non augeatur et ut illae, quae jam vigent, sensim sensimque possint tolli. Verum quidem est opificiorum, quando peregrinis libera importatio conceditur diminui posse, sed patet illa parum civitati prodesse imo nocere, si tantum vectigalium ope et legum, quae exteram prohibent importationem exstare possunt (2). Supra enim jam animadvertimus privilegia certo generi industriae concessa, divitias procurare iis, qui hujusmodi privilegiis gaudent, sed illas divitias revera constare tantum e damno, quod omnes patiuntur consumentes. Libera cum datur importatio omnia illa privilegia evanescunt

---

(1) Hanc rationem revera sequi voluisse videtur Vir Nob. HUSKISSON. Cf. *Considerations sur la réforme Commerciale* etc. quae leguntur in *Revue Encycl.* Jan. 1829.

(2) Cf. STORCH, op l. II. pag. 467. SAY, op. l. Tom. I. pag. 100 et 113.

et coguntur opifices eodem pretio merces suas vendere, quo exteri eas nobis offerunt. Huc si pervenire non possunt, melius erit ut opificia pereant, cum pateat illa tantum cum detrimento omnium posse florere (1). Si autem constat opifices eodem pretio res, quas elaborant, vendere posse, quo peregrini eas vendunt, iniquum foret, cives majus solvere pretium, quam quod necessarium est (2).

Neque timendum est peregrinos omni in re nostris antecellere posse. Pluribus gaudent nostrates commodis, quae simul sumta efficiunt, ut si caeterum iis eadem conditione versatur extera et patria industria, mercium indigenarum pretium minus sit, quam peregrinarum. Sumtus enim transvectionis, assecurationis praemium aliique, peregrinarum mercium necessario augent pretium, quos indigenae solvere non tenentur. Opifices nostri forte minora sic percipient lucra, sed si indagamus efficacitatem, quam habet saepe rerum pretii diminutio, patebit plures etiam illos vendituros esse merces, quum numerus eorum, qui illas res consumunt statim crescat, simulac earum pretium diminuitur (3).

§ 9. *Sunt illecebrae fraudum gravia vectigalia.*

Fautores systematis prohibitorii et gravium vectigalium, parvi pendunt sumtus, qui, ut systema sub-

---

(1) Cf. Vir Cons. GREVELINK, spec. laud. pag. 62.

(2) Cf. Vir Cl. RAU, Tom. II. pag. 213. J. DROZ., op. l. pag. 184. RICARDO, op. Tom. I. pag. 124.

(3) Cf. SAY, op. laud. II. pag. 39. Vir Cons. G. A. PORTIELJE, diss. laud. pag. 124.

sistat, sunt irrogandi; sed non attendunt incommoda quae civitati existunt, quando illud systema revera introductum est. Fisco prohibitoriae leges stricto sensu parum prosunt, nam plurimae merces clam et fraude invehuntur et quae fiscus percepit e venditionibus illarum rerum, quae a portitoribus sunt detectae et captae, ea pauca sunt. Gravia etiam vectigalia in importationem exterarum aut exportationem patriarum mercium scripta, non tantum pecuniae vim in aerarium publicum inferunt, quanta vulgo putatur. Simulac hujusmodi vectigalia scripta sunt, statim homines quidam audaces et deperditi se offerunt mercatoribus, pollicentes, se merces illas, in quarum importationem sunt constituta vectigalia, exigua mercede, (longe minori quam vectigalia scripta,) per limites regionis transvecturos esse et mercatores, eheu! saepius illorum miserorum preces exaudiunt (1). Multae calamitates inde oriuntur. Illi, qui clam merces important aut exportant et sic victum sibi quaerunt, consuetudinem capiunt violandi leges publica auctoritate latas et civitati fiunt periculosissimi. Et si prehendunter et secundum leges severas puniuntur, uxor, liberi, cognati in infelicissima saepe versantur conditione, quum non habeant unde se sustentent, numerum ingentem pauperum aucturi (2).

(1) Vir Cons. GREVELINK, spec. l. pag. 118.

(2) Recte hac de re dicit Vir Ampl. VAN HOGENDORP, *Lettres*, I. p. 6. «*Plus les droits sont élevés, plus il y a d'attraits pour le contre-«bande. Nous la voyons organisée sur toutes nos frontières, des «milliers de nos compatriotes en font leur métier et l'état floris-«sant de plusieurs villages est dû à ce trafic illégal.* Cf. etiam Vir Doct. P. VREDE, o. laud. Tom. I. pag. 142. seqq.

Et revera portitores et publicani non omnes fraudes praevenire aut detegere possunt et poenae severissimae non efficiunt, ut nullae omnino res fraude importentur aut exportentur. Anglia circumdata est navibus armatis, quarum magistri cavere debent, ne aliquid legum in fraudem fiat, et tamen multae merces ibi clam invehuntur. Nobilissimus LAUDERDALE in opere de oeconomia-politica narrat pannos textilas aliaque quaedam e Francia in Angliam importare severis legibus plane prohibitum esse et tamen in aula Regis ipsius multa ejusmodi Francicae industriae negotia palam conspici (1). Francia publicanorum triplici linea circumdata est et tamen Minister rerum internarum ante aliquot annos publice professus est, ne quintam partem mercium, quae clam importentur, prehendi aut publicari posse. Multae merces, quae in Russia prohibitae sunt, ibi tamen aliunde advectae inveniuntur. In Austriam et Borussiam exigua mercede merces prohibitae importantur (2).

Patet igitur leges prohibitorias et gravia vectigalia saepissime effectu carere.

Sed et aliud damnum illae leges adversarii legum prohibitoriarum afferre putant. Mercatorum numerum in duas partes dividendum putant, nempe in eos, qui vectigalia scripta solvunt, et in illos, qui fraudes adhibent. Illi, qui obedientiam praestant legibus et solvunt, quod fisco est solvendum, majus

(1) Lectu dignissima sunt, quae habet Vir Cons. GREVELINK, spec. l. pag. 117 en Nota.

(2) Cf. Vir. Ampl. VAN HOGENDORP, op. laud. Tom. I. pag. 71 et 90.

pretium ab emtoribus exigere debent, quam hi, nam vectigalia soluta pretium majus reddunt. Hi vero merces, quas fraude importaverunt minore pretio vendere possunt et emtores ab iis potius quam ab aliis suas merces emunt, quia minoris apud illos res constant. Constituitur hoc modo discrimen aliquod ratione pretii inter merces, quae tamen in se ejusdem sunt valoris, quod valde est dolendum. Praeterea probi mercatores quasi coguntur sic ad fraudes adhibendas et sic maleficium nonnullorum alios ad eadem provocat maleficia, nam si vident se non aeque parvo pretio vendere posse, atque alii, vix aliud restat, quam ut horum exemplum imitentur. Quodsi vectigalia minus gravia scripta sunt, mercatores omnes ea solvunt et sic accidit, quod leviora semper majorem pecuniae copiam fisco afferant quam gravia. Sic etiam probi homines ad fraudes adhibendas non amplius erunt coacti.


§ 10. *De sumtibus, qui erogantur ad constituendum systema prohibitorium.*

Duplici ratione sumtus, qui sunt erogandi ut systema prohibitorium constituatur, defendere conantur liberae mercaturae adversarii. Primo loco dicunt vectigalia gravia civibus numquam molesta esse et secundo portitores sumtibus aliorum vivere negant, sed contendunt eos aeque ac milites aliique, qui a civitate ipsa honoraria accipiunt, civitatis commoda curare, cujus curae in gratiam iniquum non est aliquod iis tribuere salarium.

Ad singulas hujus defensionis partes sic respondent

adversarii. Contendunt illi vectigalia, quae peregrini solvunt, cum merces ab iis importentur, lucrum tantum diminuere, quod percipere illi sibi proposuerant ex earum venditione. Sed minus recte illi hoc intelligere videntur. Peregrini, cum merces suas advehunt, pro iis pretium aliquod exigunt, quod continet valorem rerum, quae ad confectionem aut elaborationem necessariae erant et mercedem, quam opifices meruerunt in earum confectionem operam impendentes et insuper lucrum quoddam eorum, qui id industriae genus tractandum in se susceperunt. Si jam quamvis ob causam vectigal quoddam scribitur in harum mercium importationem, eorum pretium tantumdem augetur et cives eas ementes in pretio simul restituunt vectigal venditoribus, quod ab iis solutum erat. Lucrum igitur peregrinorum non diminuitur, sed reapse cives sunt qui illud vectigal fisco solvunt.

Vectigal, quod scriptum est in exportationem rerum patriarum, ut tributum indirectum considerant. Sed nonne iniquum est pro libertate commercium quoddam agendi ab aliis aliquam pecuniam exigere civitatem, a cujus solutione mercatores alii sunt liberati? Tributa enim ab omnibus civibus aequa parte sunt solvenda. Injustum est ab his multum exigere, et ab illis nihil. Probabile est mercatores exportando merces lucrum aliquod sperare, cujus partem civitas exigit, sed illi quoque, qui ad se advehi curant peregrinas merces, damnum aliquod subire nolunt. Lucrum aliquod etiam illi sperant. Praeterea observandum est exteros saepe ab earum emtione se



abstinere, cum illarum pretium per vectigalia majus factum sit (1). Certum etiam est mercium patriarum copiam statim diminui, si illarum pretium scriptis vectigalibus in exportationem augetur, nam eo plures venduntur, quo sunt viliores. Patet igitur vectigalia gravia in exportationem mercium statuta etiam civibus damnosa esse.

Regulae quoque quae observandae sunt a mercatoribus, cum merces importentur aut exportentur, molestam reddunt mercaturam et ei ideo etiam quam maxime nocent (2).

Ultimo loco dicendum est de argumentis, quae in portitorum favorem vulgo proferuntur.

Putant adversarii liberae mercaturae sumtus, quos exigit hujusmodi systema, civitatis divitias non diminuere, quia pecunia, quam solvit iis civitas, in patria remanet et per consumtionem a portitoribus factam ad cives ipsos redit. Non vident sic damnum aliquod inferri civibus, imo contendunt portitores eam ob causam civitati esse utiles, quia res, quae in civitate conficiuntur, certa pro parte ab iis consumuntur. Sed contrarium potius verum esse videtur.

Sumtus, qui a civitate erogantur in commodum civium ab iis sunt solvendi. Milites, qui patriam defendunt, pro omnium libertate et quiete certant,

---

(1) Cf. Leuchs, op. laud. pag. 256. et van Hogendorp, in *Bijdragen* etc. Tom. 2. pag. 81.

(2) Cf. Vir Doct. Ouwerkerk de Vries, op. laud. pag. 11 et 80. Van Hogendorp, in *Bijdragen* etc. Tom. I. pag. 57 et 63 et Tom. I. pars I. pag. 164. E. Luzac, *Hollandsch Rijkdom*, II. pag. 123. Vir Nob. Chaptal, *de l'industrie française*. Vol. II. pag. 400.

merentur stipendia, quae iis conceduntur. Judices, qui operas suas indefessas adhibent, ut omnes lites inter cives dirimantur et sic omnibus jura sua tribui curant, pro illis beneficiis honorarium quoddam jure expetunt. Illi quidem a civitate aliquid accipiunt, quo se sustentent, sed minime illi civium sumtibus vivere sunt dicendi, nam aliquam iis praebent utilitatem. Vectigalia vero gravia minime sunt utilia civibus. Magnam partem illorum absorbet por titorum ingens numerus et salarium, quod iis praebet civitas, civibus, qui mercaturam agunt, est ademtum. Civium detrimento et sumtibus igitur illi vivunt (1). Est etiam veritati quam maxime contrarium contendere tributa civibus damnosa non esse, quasi illa iis consumtione restituantur. A vero aliena est quam maxime haec sententia.

Civitas, v. g. quoddam exigit tributum a civibus, ut aedificentur aedes sumtuosissimae, Regis in gratiam aut aliorum. Omnes solvunt illud et multi civium, ut fabri tignarii, caementarii, pictores aliique plures inde lucrum aliquod percipiunt. Sed adsunt permulti, qui nullum inde commodum sentiunt. Illi profecto illud quod solverunt amiserunt, nam horum parum interest quod sumtuosae illae aedes habeantur an minus. Operarii autem, qui in harum aedium structura sunt occupati, percipiunt mercedem, pro operis, quas praestant, sed pars illa, quam gratis solverunt, tributi nomine, iis minime restituitur (2). Recte igitur dicit Vir Clar. Say,

(1) Cf. Say, op. laud. Tom. IV. pag. 273.

(2) P. Verdi, op. laud, Tom. I. pag. 34.

op. laud. Tom. IV. pag. 83. «*Il convient de remarquer que ce qui constitue la contribution, est l'abandon gratuit que l'on fait au gouvernement, d'une chose pourvue de valeur (que ce soient des écus ou bien des denrées); et que l'achat auquel le gouvernement emploie cette valeur, n'est point une restitution faite à la société, c'est un échange. Le gouvernement est un consommateur, qui détruit soit en consommant des denrées, soit en consommant des services, la valeur qu'il a levée sur le contribuable.*»

THESES.

I.

Beneficium, quod *const.* 2. *Cod. de resc. vend.* in favorem venditoris introductum est, ex Juris Romani ratione ad emtorem producendum non videtur.

II.

Nulla est antinomia inter fr. 4. Dig. *de test. tut.* et *const.* 4. *Cod. eod. tit.*

III.

Res donata, quae sec. Art. 747. *Cod. Civ. Fr.* adscendenti donatori competit, ab hereditate deducenda est ante portionem legitimam, de qua est in Art. 913 seqq.

IV.

Actio, quam contra vicinum incendii auctorem habet proprietarius, cujus aedes hoc incendio damnum aliquod acceperint, ad eum, qui harum aedium incendii periculum in se suscepit, ipso jure transire non videtur.

V.

Renuntiatio facta portionis suae ab herede ei, cui coheres portionem suam jam vendidit, non prodest.

VI.

Errant qui jus puniendi a delinquentis ipsius consensu in poenam repetunt.

VII.

Nullum delictum, nulla poena, sine praevia lege poenali.

VIII.

Eximie dicit Vir Clar. H. C. Cras, in Disp. *de Hominum aequalitate.* pag. 70. cavendum esse diligenter, ut quam mitissima sit rei custodia et tamquam ejus, qui possit innocens esse atque a judice absolvi. Omnis alia carceris ratio injuria est, ac severius punienda.

IX.

Vox *Démence,* quae in Art. 64. *Cod. Cr. Fr.* occurrit, non de dementia in specie, sed de omni mentis morbo intelligenda videtur.

X.

Recte dixisse nobis videtur Vir Doct. J. C. Leuchs in opere *Gewerb- und Handelsfreyheit* etc. pag. 389. *Die Gesetze gegen die Wucher sind ungerecht;* sed non improbamus quod lege definiantur usurae in casum quo de iis non convenerint partes.

XI.

Gravia vectigalia in importationem exterarum mercium scripta, ut succurratur industriae indigenarum, raro huic proposito respondent.

XII.

Periculosum esse videtur exaudire preces opificum,

